S. RITUUM CONGREGATIONIS

AD ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ET ORDINARIOS PROVINCIARUM GORITIEN., IADREN. ET ZAGABRIEN.

LITTERAE

DE USU LINGUAE SLAVICAE IN SACRA LITURGIA

Quae praecipue observanda sunt, vel cavenda, circa usum palaeoslavici idiomatis in sacra liturgia, Sacra haec Congregatio iam edixit die 13 Februarii 1892; atque iis opportune significavit Slavorum Meridionalium Episcopis, qui ecclesiis praesunt, ubi eiusmodi praxis invaluit. Quum vero, hac super re, Apostolicae Sedi nova proposita sint dubia, **Ss.mus D. N. Leo div. prov. Papa XIII,** pro sua erga Slavos paterna sollicitudine, ad praedictas normas enucleandas et firmandas, omnemque removendam perplexitatem, grave hoc negotium peculiaris coetus S. R. E. Cardinalium examini submitti iussit.

Re igitur in omnibus mature perpensa, attentisque Summorum Pontificum Constitutionibus et Decretis, praesertim Innocentii IV, qui Episcopis Senien., a. 1248, et Veglen., a. 1252, slavica utendi lingua concessit *licentiam, in illis dumtaxat partibus, ubi de consuetudine observantur praemissa, dummodo ex ipsius varietate litterae sententia non laedatur;* item Urbani VIII; cuius iussu a. 1631 libri liturgici glagolitice editi sunt, *ad usum ecclesiarum, ubi hactenus praefato idiomate celebratum fuit, nisi malucrint latino;* nec non Benedicti XIV, qui novam ipsorum librorum editionem, a. 1754, authenticam declaravit, pro iis, *qui ritum slavo-latinum profitentur;* ac demum Pii VI, qui a. 1791 Breviarium eius auspiciis denuo impressum

recognovit, iidem E.mi Patres eas quae sequuntur regulas statuerunt, illasque **Sanctitas Sua** ratas habuit, adprobavit et in posterum ab omnibus inviolate servari mandavit :

I. Usus palaeoslavicae linguae in sacra liturgia considerari et haberi debet velut *reale* privilegium certis inhaerens ecclesiis, minime vero ad instar privilegii *personalis*, quod nonnullis sacerdotibus competat.

Episcoporum igitur officii munus erit, in unaquaque dioecesi quam primum conficere indicem seu catalogum ecclesiarum omnium et singularum, quas certo constet, in praesens ea concessione rite potiri.

Ad dubia porro amovenda, asserti privilegii probatio desumatur ex documentis ac testimoniis, quae in tuto ponant et probe demonstrent, illud invaluisse et reapse vigere triginta saltem abhinc annis ; quod temporis spatium in re praesenti tamquam sufficiens habetur ex indulgentia speciali Sanctae Sedis.

Si quae deinceps controversiae aut difficultates in eiusmodi probationum negotio oriantur, illas Episcopi Sacrae Rituum Congregationi subiiciant, rerum adiuncta explicate et distincte exponendo, pro singulorum casuum solutione.

II. Praedicto ecclesiarum privilegiatarum indice semel confecto et publicato, nulli prorsus licebit, in aliis ecclesiis, quacumque ratione vel quovis praetextu, linguam palaeoslavicam in sacram liturgiam inducere : si quid vero secus aut contra contigerit attentari, istiusmodi ausus severa coërcitione reprimantur.

III. In ecclesiis, quae supra memorato gaudent privilegio, Sacrum facere et Officium persolvere publica et solemni ratione, permissum exclusive erit palaeoslavico idiomate, quacumque seclusa alterius linguae immixtione. Libri ad Sacra et ad Officium adhibendi characteribus glagoliticis sint excusi atque ab Apostolica Sede recogniti et adprobati : alii quicumque libri liturgici, vel alio impressi

charactere, vel absque approbatione Sanctae Sedis, vetiti omnino sint et interdicti.

IV. Ubicumque populus sacerdoti celebranti respondere solet, aut nonnullas Missae partes canere, id etiam nonnisi lingua palaeoslavica, in ecclesiis privilegiatis fieri licebit. Idque ut facilius evadat, poterit Ordinarius fidelibus exclusive permittere usum manualis libri latinis characteribus, loco glagoliticorum exarati.

V. In praefatis ecclesiis, quae concessione linguae palaeoslavicae indubitanter fruuntur, Rituale, slavico idiomate impressum, adhiberi poterit in sacramentorum et sacramentalium administratione, dummodo illud fuerit ab Apostolica Sede recognitum et probatum.

VI. Sedulo curent Episcopi in suis Seminariis studium provehere cum latinae linguae, tum palaeoslavicae, ita ut cuique dioecesi necessarii sacerdotes praesto sint ad ministerium in utroque idiomate.

VII. Episcoporum officium erit, ante Ordinationem sacram, designare clericos, qui latinis, vel qui palaeoslavicis ecclesiis destinentur, explorata in antecessum promovendorum voluntate et dispositione, nisi aliud exigat ecclesiae necessitas.

VIII. Si quis sacerdos, addictus ecclesiae, ubi latina adhibetur lingua, alteri debeat ecclesiae inservire, quae palaeoslavici fruitur idiomatis privilegio, Missam solemnem ibi celebrare, Horasque canere tenebitur lingua palaeoslavica; attamen illi fas erit privatim Sacra peragere et Horas canonicas persolvere latina lingua.

Idem vicissim dicatur de sacerdote, palaeoslavici idiomatis ecclesiae adscripto, cui forte latinae ecclesiae deservire contigerit.

IX. Licebit pariter sacerdotibus latini eloquii ecclesiae inscriptis, in aliena ecclesia, quae privilegio linguae

palaeoslavicae potitur, Missam privatam celebrare latino idiomate.

Vicissim sacerdotes, linguae palaeoslavicae ecclesiis addicti, eodem idiomate Sacrum privatim facere poterunt in ecclesiis ubi latina lingua adhibetur.

X. Ubi usus invaluit, in Missa solemni Epistolam et Evangelium slavice canendi, post eorumdem cantum latino ecclesiae ipsius idiomate absolutum, huiusmodi praxis servari poterit, dummodo adhibeatur lingua palaeoslavica. In Missis autem parochialibus fas erit, post Evangelii recitationem, illud perlegere vulgari idiomate, ad pastoralem fidelium instructionem.

XI. Si forte in paroeciis, quae linguam habent palaeoslavicam, aliquis e fidelibus prolem renuat sacro sistere fonti, nisi Rituali latino baptismus conferatur; vel si qui matrimonium recusent celebrare, nisi latina lingua sacer absolvatur ritus, Parochus opportune illos instruat, moneatque; et si adhuc in propria sententia persistant, baptismum, aut benedictionem nuptialem privatim latina lingua ministret.

Vicissim agatur, in paroecia latinae linguae, si quis slavico idiomate ritus praedictos omnino peragi similiter exigat.

XII. In praedicatione verbi Dei, aliisve cultus actionibus, quae stricte liturgicae non sunt, lingua slavica vulgaris adhiberi permittitur ad fidelium commodum et utilitatem, servatis tamen generalibus Decretis huius S. Rituum Congregationis.

XIII. Episcopi illarum regionum, ubi eadem in usu est lingua vernacula, studeant uniformi curandae versioni precum et hymnorum, quibus populus indulget in propria ecclesia, ad hoc ut qui ex una ad aliam transeunt dioecesim vel paroeciam in nullam offendant precationum aut canticorum diversitatem.

XIV. Pii libri, in quibus continetur versio vulgata liturgicarum precum, ad usum tantummodo privatum christifidelium, ab Episcopis rite recogniti sint et approbati.

Datum Romae, ex Secretaria Ss. Rituum Congregationis, die 5 Augusti, anno 1898.

C. Card. MAZZELLA S. R. C. *Praefectus*

L. ✠ S. D. Panici S. R. C. *Secretarius.*

II.

DUBIUM

E.mus et R.mus Dominus Card. Herbertus Vaughan Archiepiscopus Westmonasteriensis sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter exposuit, nimirum:

I. Utrum Metropolitano, sive Cardinalitia dignitate insignito sive non, conveniat assistere cum mitra et pluviali Missae solemni in Ecclesia alicuius Suffraganei, sive ab Ordinario, sive ab alio, ipso praesente, celebrandae. Et in casu affirmativo, utrum habeat usum baculi et presbyteri assistentis, et ea alia omnia, quae conveniunt Ordinario, mitra et pluviali parato, Missae solemni in propria Dioecesi assistenti?

II. Utrum Metropolitanus, sive Cardinalis sive non, in Dioecesi Suffraganei cum cappa assistens Missae solemni ab Ordinario vel ab alio, ipso praesente, celebratae, adhibere valeat praeter assistentes etiam presbyterum assistentem?

III. Utrum in dictis circumstantiis Metropo-

litanus habere possit usum libri et scotulae ad legendum Introitum etc. ?

IV. Praesente Metropolitano, sive Cardinali sive non, cappa induto simul cum Ordinario loci Missae solemni a Canonico vel Sacerdote simplici celebratae, cuinam spectare debeant benedictiones thuris, ministrorum etc. ?

V. Utrum Episcopis, sive Suffraganeis sive non, Missae solemni in aliqua Cattedrali vel alia Ecclesia in provincia, praesente Metropolitano, assistentibus, conveniat usus mozzettae supra rocchettum mantelletta coopertum ?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, et ad alteram partem observetur Caeremoniale Episcoporum et quoad usum baculi pastoralis praesertim in Lib. I. cap. 17 num. 5, quoad presbyterum assistentem detur Decretum S. Congregationis Caeremonialis d. d. 16 Dec. 1837 (1).

Ad II. *Provisum in primo.*

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. *Ad Metropolitanum.*

---

(1) En verba huius Decreti : «..... Missam cum celebrante, quisque is sit, non incipit (Cardinalis). Sedem Episcopalem occupat, ubi, si non celebret Episcopus (loci Ordinarius), Canonicum vel Canonicos assistentes potest habere ; celebrante tamen Episcopo non potest. *Neutro autem in casu Presbyterum assistentem proprie dictum habere valet.....*» REDACTIO.

Ad V. Dentur Decreta in *Rheginen.* 17 Martii 1663, ad 2; *Mediolanen.* 16 Martii 1833 ad 1 et 2; et *Liburnen.* 23 Septembris 1848 ad 2 (1).

Atque ita rescripsit, die 13 Septembris 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*

L. ✠ S. S. R. C. *Praefectus*

D. Panici *Secretarius.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

De quibusdam Caeremoniis in Missa coram S. R. E. Cardinali.

X.

Bernardus Presbyter, facta Missa in quadam Ecclesia Urbis exempta, die festo solemniori eiusdem Ecclesiae Tituli, Missae astitit, quam alter Sacerdos celebravit coram uno ex purpu-

(1) Decretum in *Rheginen.* (**1256**-2210) statuit: « 2. An (Metropolitanus) possit prohibere Episcopum, ipso praesente, ab usu Mozzettae ? » *Resp.* « Licite fieri posse a Metropolitano ». Alterum in *Mediolanen.* (**2706**-4709) decrevit: *Resp.* « ad 1. et 2. Ratione Episcopatus posse et debere uti habitu ordinario, quo utuntur Episcopi in Romana Curia, id est rochetto supra subtanam et mantelletto violacei coloris..... » Tertium denique in *Liburnen.* (**2976**-5140) habet: « 2. An uti possit (Episcopus) mozzetta, vel potius supra rochettum mantellettam tantum gestare debeat ? » *Resp.* « Negative ad primam partem: affirmative ad secundam ».

REDACTIO.

ratis Patribus, aliam post suam Missam audiente. Animadvertit autem, plures Celebrantem peragere caeremonias ante E.mum, quae a liturgicis regulis sibi omnino absona visa sunt. Namque E.mo astanti profunde inclinavit, non solum in primo ad altare ingressu, sed et immediate ante Missae initium. Ad Confessionem in cornu Epistolae se collocavit, dicensque in « Confiteor » *et tibi, Pater*, addidit *E.me*. Evangelii librum, quem legerat, eidem E.mo misit deosculandum. Antequam infunderet aquam in calicem, benedictionem ab E.mo petiit. Pacem cum Instrumento illi per clericum inservientem dedit; ac denique benedicens populo, a parte laterali se vertit, profecto ne E.mo benedicere videretur. Quae omnia admirationem in Bernardo nimiam pepererunt: eoque magis, quod alia in Ecclesia, similibus in rerum adiunctis, alium E.mum alteri Missae astantem viderat, cui Celebrans bis tantum inclinaverat, nempe in ingressu ad altare, et in regressu ab eodem. *Quaeritur:*

1.° *Quinam competant signa honoris, de quibus in casu, et quibus de causis?*

2.° *Quid peculiariter observandum circa osculum libri Evangelii in Missa, ex parte virorum, non solum ecclesiastica, sed etiam civili aliqua dignitate fulgentium, maxime si quadam iurisdictione polleant?*

3.° *Quid de singulis in casu expositis, quidque servandum in praxi?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Alexandri Ielenski, habita in Ecclesia Presbyterorum Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die II Maii 1898; acta Epitome per Rev. Dom. Calcedonium Mancini Academiae Moderatorem.

I. Cuinam competant signa honoris, de quibus in casu, et quibus de causis?

Peculiares caeremoniae in honoris signum a Sacerdote in casu peractae, quae Bernardo a liturgicis regulis absonae visae sunt, in Missae celebratione coram E.mo S. R. E. Cardinali, sunt sequentes: 1. Sacerdotis celebraturi inclinatio immediate ante Missae initium; 2. status eiusdem Sacerdotis in cornu Epistolae ad Confessionem; 3. verba *et tibi, Pater*, pro *vobis fratres*, cum additione quoque *Eminentissime* ad *Confiteor:* 4. deosculatio initii Evangelii in libro Missali, ex parte Eminentissimi; 5. benedictio aquae ab eodem E.mo expetitae ante infusionem in calicem; 6. osculum pacis per instrumentum a Sacerdote missum E.mo; 7. tandem benedictio finalis populo impertita e parte laterali, ad E.mum excludendum. Quaeritur nunc cuinam huiusmodi competunt. Praenotandum est, statum Sacerdotis Confessionem facientis, in casu, iuxta Rubricas Missalis (*Ritus celebrandi Missam*, Tit. III, n. 2), non esse debere a latere Epistolae, sed a latere Evangelii. Insuper additionem verbi *Eminentissime* esse omnino arbitrariam, semper iuxta Rubricas, quae Cardinalis praesentiam considerant, sed huiusmodi additionem respuunt. Tandem

benedictionem aquae non esse omnino a Praelato poscendam, opponitur namque Caeremonialis Episcoporum dispositio (*lib. I. Cap. XXV. N. 3, in fine*): « Ad offertorium Episcopus non benedicat aquam ». Cetera vero iuxta praefatum Caeremoniale (*loc. cit.*) et Missalis Rubricas (*loc. cit.* nn. 2, 8; VI, 2; X, 3; XII, 3, 5) competunt Romano Pontifici (cum genuflexione ad num. 1 et 3), Cardinalibus, Legatis Sedis Apostolicae, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, in eorum residentiis vel loco iurisdictionis. Addi debet, quod Bernardus non animadvertit, reverentia iterata antequam Sacerdos Altare ascendat post Confessionem, quae iisdem competit (*Rubr. Miss. loc. cit. III, 11*). Causae vero, ob quas haec omnia praedictis Praelatis competunt, est maxima reverentia, quae iis debetur, ob eorum dignitatem, una cum iurisdictione coniunctam, ab eo qui subditus est.

Nunc autem observandum venit quantum extendatur pro singulis Praelatis iurisdictio, ad decernendum ubi et quando signa praefata honoris iis debeantur.

Romanum Pontificem, neminem latet, totum Orbem iurisdictione, eaque suprema, comprehendere. Eminentissimi S. R. E. Cardinales, uti patet ex Epistola Eugenii IV ad Archiepiscopum Cantuariensem, gaudent dignitate *prima post Pontificatum Maximum*, unde extra Summi Pontificis residentiam nullum agnoscunt superiorem. Succedunt Nuntii Apostolici facultatem habentes Legati de Latere, qui intra fines suae Legationis cedunt quidem Cardinalibus, sed nulli alteri. Ita Visitator Apostolicus Episcopus, in loco suae iurisdictionis praecedit Archiepiscopo et Episcopo, qui respective in propria Provincia et Dioecesi iurisdictionem habent. Hi ergo sunt *Praelati maiores* quibus, ex lege Caeremonialis et Rubricarum Missalis, honoris signa, de quibus sermo noster est, debentur.

Sed si res plana est pro iurisdictionem veram et

actualem exercentibus, non ita, pro Eminentissimis Cardinalibus, qui haud semper et ubique iurisdictione pollent, sicuti semper et ubique dignitate praestant, uno excepto Summo Pontifice.

E.mus Cardinalis aut consideratur in sua residentia episcopali sive in suo Titulo, sive Diaconia, seu in loco Legationis, sive Episcopatus demandati, aut extra illa. Et rursum hoc *extra* aut est Romae, seu in Papali residentia, aut extra Urbem et Papalem residentiam (ad aequivocationes vitandas, pro Papali residentia intelligimus locum, etiamsi extra Urbem, sub *immediata* Romani Pontificis iurisdictione positum, v. gr. Patriarchalem Basilicam Assisiensem). Nunc autem quaerimus: honoris signa, in casu, dignitatem respiciunt, an iurisdictionem? Respondemus: ex Caeremoniali Episcoporum constat iurisdictionem semper in ceteris Praelatis considerandam esse, in Cardinalibus vero non semper, sed interdum etiam solam dignitatem. Et sane ita se exprimit ubi de thurificatione: « Legatus Cardinalis, si aderit, vel etiam Cardinalis non Legatus », et prosequitur loquens de ceteris, Archiepiscopis, Nuntiis etc. « in loco eorum iurisdictionis » (*Lib. I. Cap. XVIII, num. 27, 28, 32*). Et (*n. 29*): « Si forte aliquis S. R. E. Cardinalis esset Episcopus Suffraganeus, praesente suo Metropolitano non Cardinali, thurificandus est prius ipse Cardinalis, *ob reverentiam* **dignitatis** *Cardinalitiae* ». Ex his facile deducitur Cardinalem *non Legatum*, idest absque iurisdictione, imo et Cardinalem *Suffraganeum*, nempe quatenus Episcopum, subiectum alterius iurisdictioni, cunctis praeeminere, ob idque honoris signa, quibus inferiores honorantur, sibi nuncupare.

Ergo E.mi Cardinales, sive iurisdictione polleant sive illa careant, ob unam dignitatis rationem, honoris signa de quibus in casu, sibi vindicant.

Superius diximus, *non semper*, *sed interdum solam*

dignitatem in Cardinalibus considerandam, quia si v. gr. Romae, aut in Papali residentia degant, cum ibi superiorem agnoscant, nempe Summum Pontificem, dignitas hac ex ratione imminuitur, et caret honoribus : tamen in Titulo seu Diaconia, ex alia ratione, nempe ex vera qua pollent iurisdictione, cum dignitas in suo robore maneat, honoris signa habebit. Dignitas quippe sequitur iurisdictionem, non autem iurisdictio dignitatem (*V. Rubr. Miss.*, *Ritus etc. Tit. III, n. 2*).

Exceptionem tamen constituit *pacis osculum*, quod, sicut ex Caeremoniali constat, cum non detur ob causam supremae dignitatis (datur enim non tantum maiori, sicut Evangelii osculum, quod nulli datur si aequales Praelati adsint, sed cunctis, ordine servato, praesentibus — *Lib. I, Cap. XXVI, n. 3*), Romae quoque, etiam extra locum iurisdictionis, optime exhibebitur.

Scimus nihilominus nonnullas, prout in casu exponitur, Urbis esse Ecclesias exemptas (a directa et immediata alterius iurisdictione), in quibus iam memorata honoris signa E.mis Cardinalibus exhibentur. Rectene agere dicendae sunt ? Quantum videmus, negative. Quomodo sane dicetur *directa et immediata* Summi Pontificis iurisdictio in Urbis Ecclesiis deficere ? Si ita se res habere posset, etiam in Dioecesi Episcopus tolerare deberet alium Praelatum, *inferiorem se*, eiusmodi signa praetendere; quod nemo admittet. Hinc in Urbe Cardinalis, extra suae iurisdictionis locum, thronum erigere non valet, mantellettum deponere, benedicere transeundo populum, etc.

Sed quid dicetur de Ecclesiis, in locis *Protectoriis* nuncupatis ? Cardinalium iurisdictio inibi plena non est, unde, nisi forte agatur de Ecclesia omnino interna, et publico fidelium accessui clausa, nihil praestandum, nisi Pacis osculum uti alias. Congruum nonnullis videbitur, hoc in casu, et osculum Evangelii ; sed nos animadvertendum

proponimus, non satis iustificari posse omissionem (in casu faciendam) osculi, et verborum: *Per Evangelica dicta etc.* ex parte Celebrantis, quod a Rubrica praecipitur, nisi adsit verus Superior, in gratiam Praelati non stricto sensu superioris. Salvo legitimae Auctoritatis iudicio, quod sollicitandum humiliter proponimus, opportunus in casu nobis videretur usus a Caeremoniali praescriptus, in casu assistentiae *maximi Principis*, vel *S. R. E. Cardinalis*, celebrante Episcopo, in quo, non utique liber Evangelii, quo utitur Episcopus, sed *alius liber consimilis* illi porrigitur (*Caer. Ep. lib. I, cap. XXIX, n. 9*).

Quaestionem non facimus de Sacello domestico E.mi, in quo ipse omnia honoris signa recipiet. Item, salvo meliori iudicio, dicendum de aliis Sacellis omnino privatis.

II. Quid peculiariter observandum circa osculum libri Evangelii in Missa, ex parte virorum, non solum ecclesiastica, sed etiam civili aliqua dignitate fulgentium, maxime si quadam iurisdictione polleant?

Innocentius III ait, osculum dari ad pacem Christi crucifixi recipiendam, qui nos omnes secum reconciliat. Vetustissimis Ecclesiae temporibus, Evangeliorum liber omni populo osculandus porrigebatur. Recentiori aevo, pluribus in Ecclesiis, solemnibus diebus, Diaconus ipsum librum circumferebat omnibus de clero osculandum, dicens in illo sancta verba haberi; unusquisque vero respondebat, se ex corde credere et ore confiteri.

Quod Evangelii osculum iurisdictionem significet ex sequenti S. R. Cong.nis Decreto eruitur: « Censuit eadem S. C.; non licere supradicto Episcopo Pharen. sibi pannum etc., neque illi extra suam Dioecesim deosculationem textus Evangelii competere (*Iadren. 13 Oct. 1618*; 367).

Observat Macrius, osculum Evangelii fieri ad pacem

Christi recipiendam, neque pluribus donari, quia Christus unus est, nec dividi potest.

In Ecclesia Rhemensi, Subdiaconus initio Missae librum Evangeliorum Archiepiscopo celebranti porrigit osculandum dicens: *Haec est lex sancta, Pater*. Respondet Archiepiscopus: *Credo et confiteor*. In romano ritu quoque, Episcopus quilibet solemniter celebrans, post Missae Confessionem Evangelium osculatur.

Quod vero attinet Evangelii osculum ex parte laicorum, in Decretali « *Ad audientium* » Honorii Papae III, 1221, sub excommunicationis poena prohibetur, Principibus laicis, nisi essent Reges uncti sancto oleo, praeberi librum osculandum. In praesenti vero disciplina haec habet Caeremoniale Episcoporum: « Liber Evangelii celebrante Episcopo, nulli, etiam magno Principi, aut Praelato Missae praesenti datur osculandus post lectum Evangelium; sed si adesset aliquis maximus Princeps, vel S. R. E. Cardinalis, cui liber Evangelii osculandus porrigendus esset, non utique liber Evangelii, quo utitur Episcopus, sed alius liber consimilis illi porrigatur (*Lib. I, cap. XXIV, n. 9*) ».

III. Quid de singulis in casu expositis, quidque servandum in praxi?

Ex iis, quae in responsis I et II, diximus, haec deducuntur: Inclinatio ex parte Celebrantis erga Eminentissimum praesentem, optime peracta fuit; hic non agitur de ulla Rubricarum immutatione seu additione, actus est omnino conveniens erga tantum Praelatum, et extra Missam positus. Inclinatio immediate ante Missae initium, superflua est, nisi etiam indicet petitionem veniae ad celebrandum, quae locum habere non potest in casu. Quod Sacerdos ad Confessionem se ad cornu Epistolae collocaverit, dupliciter erratum habendum est; primo, quia nulla ratio aderat medium Altaris derelinquendi, secundo, quia

etiamsi talis adfuisset ratio in casu, cornu excipere debuisset Evangelii et non Epistolae, iuxta Rubricas. Erravit insuper Celebrans immutans verba in *Confiteor*, multoque magis addens *Eminentissime*. Evangelii liber osculandus praebendus non fuerat. Petitio benedictionis aquae ab E.mo omnino vetita haberi debet. Optime data est Pax cum instrumento per Ministrum Missae inservientem. Benedictio populi laterali ex parte impertita laudanda in casu non erat.

Alterius Ecclesiae usus, si Pacis osculum additum fuisset, regularis dicendus esset. Huiusmodi ergo praxis est servanda in casu proposito conformi, nempe de praesentia E.mi Cardinalis in Ecclesia in qua nulla polleat iurisdictione.

Haec dicta sunt iuxta Ecclesiarum usum, quae magis Rubricis adhaerere videntur, praeter voluntatem praeveniendi sapiens iudicium competentis Auctoritatis, si quod prodeat.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Tectis in Belgio.* **De festo duorum Patronorum ad modum unius non celebrando.** Hic habentur S. Hermes Mart. et S. Alexander P. et Mart, qui ambo recoluntur uti Tituli Ecclesiae parochialis (quae est antiquissima), et Patroni loci, et quidem aeque principales. Quando hic cultus incoeperit incertum est, sed a pluribus saeculis id factum esse certo constat. Iam vero de S. Alexandro die sua (3 Maii) nihil fit: die vero 28 Aug. S. Hermetis propria, agitur utriusque festum sub ritu dup. 1 cl. cum octava, et pariter utriusque mentio fit in Oratione *Infirmitatem*. Solemnitas autem differtur in Dominicam sequen-

tem, iuxta indultum pro reductione festorum datum die 9 Apr. 1802 pro toto Galliarum Reipublicae territorio, quod tunc erat.

Nunc quaeritur:

1. Potestne hic modus agendi festi Patronorum retineri cum oratione *Infirmitatem*, an potius utriusque festum die propria, i. e. S. Alexandri die 3 Maii et S. Hermetis die 28 Augusti celebrandum est, sub ritu dupl. 1 cl. cum oct., translatis iuxta Rubricas festis Inventionis S. Crucis et S. Augustini?

2. Si utriusque festum die propria agendum, debetne tunc etiam utriusque solemnitas transferri in Dominicam sequentem?

3. Quid de parochiis in duobus pagis vicinis dicendum, quae, olim cum parochia Tectensi coniunctae, paucis abhinc annis ab ea separatae sunt? Debetne in iis etiam in posterum Ss. Hermes et Alexander tanquam Patroni haberi?

4. Regulares illic degentes, tenenturne ad celebrandum festum horum Patronorum (vel etiam festa, si separatim celebranda sint), sicut clerus Eccl. parochiali adscriptus, sed sine Octava?

5. Si de duobus Patronis faciendum sit die 28 Augusti, qui Calendario Urbis utuntur debentne omittere festum S. Alexandri die 11 Aprilis?

Resp. 1. Attentis principiis, respondendum esset: Negative ad primum; affirmative ad alterum. Nam quando plures Patroni recoli possunt ad modum unius, ex. gr. Ss. Fabianus et Sebastianus, uno eodemque die plures recoluntur sub consueto ritu. At quando ad modum unius recoli nequeunt, et sunt aeque principales, unusquisque die sua recolendus est sub eodem ritu. Hoc certum est, et discussioni non subiacet. Uti autem in Dubio exponitur, habetur in casu S. Alexander Papa et Mart., cuius propria

dies est 3 Maii: habetur S. Hermes, cuius est dies propria 28 Augusti. Ergo. Nihilominus animadvertendum, utrumque ex his Sanctis esse martyrem; et quamvis unus sit etiam Pontifex, praevalet tamen praerogativa Martyris. Nil ergo *per se* impedit, quominus ex legitima auctoritate statuta fuerit mutatio diei propriae pro uno, ut ambo eadem die recolerentur. An id revera factum fuerit, nescitur; at cum res possibilis sit, et aliunde consuetudo extet plurium saeculorum sic faciendi, consultius esse censemus, ut nihil immutetur. Nam quod factum est, rite factum esse censendum est, nisi contrarium probetur: ut respondere cogamur: Affirmative ad primum: Negative ad secundum.

Quod autem pro unione in unum duorum festorum diximus, aeque applicandum est ad Orationem *Infirmitatem*, uti patet. Supposita namque utriusque festi coniunctione, dicta Oratio, uti exponitur, et iuxta consuetudinem pluries saecularem recitatur, optime convenit.

Resp. 2. Praeterimus ad hoc dubium responsionem, quippe quod ea non indiget, cum in primo responso provisum fuerit.

Resp. 3. Patronus, qui liturgicum cultum in aliquo loco iure possidet, non ideo deperdere dicendus est quia incolae eiusdem loci separantur, independentes tamen remanentes; sed si ad alium locum adiunguntur, tunc accessorium sequi debet principale. Adeo ut populus loci separatus antiquum Patronum adhuc retinere non possit: quamvis alius Patronus in nova terra, cui adiunctus est, non recolatur. Haud par ratio esse videtur in casu v. gr. separationis a Dioecesi, quia, quamvis populus ad aliam dioecesim incipiat pertinere, adhuc integer locus remanet, ubi antiquus Patronus recolitur. Cum ergo protectionem suam maxime in loco exerceat Patronus, licet per consequens degentes quoque in loco patronatus afficiat, ne-

que Patroni cultus imminuendus est, neque ab eo exercendo exturbandus est populus.

Casus qui videtur similis habetur in Decreto *Collen.* quod in nova Collectione servatum legitur. Terra, in Hetruria, a S. Geminiano nuncupata, S. Geminianum pro Patrono recolebat; sed successu temporis a dioecesi Volaterrana cui erat unita, distracta fuit et Collensi dioecesi aggregata. Ex tunc cultus S. Geminiano Patrono sublatus fuit, et integer tributus S. Martiali, qui erat Patronus dioecesis Collensis. At multis subortis quaestionibus, nonnulla S. R. Congregationi Dubia proposita fuerunt, inter quae duo sequentia: « 1. An festum S. Geminiani, Patroni principalis Terrae huius nominis, sit de integro praecepto servandum in dicta Terra eiusque districtu? » Responsum est autem: « Ad primum: Affirmative ». « 5. An Clerus urbanus et suburbanus S. Geminiani teneatur ad Octavam S. Martialis, cum ab immemorabili teneatur ad Octavam S. Geminiani? » Responsum vero fuit: « Ad quintum: Negative (*27 Mart. 1824*, **2633**-4605). » Ex quo duplici Dubio responsoque inter se collatis perpensisque, satis abunde manifestum fit, antiquum Patronum in antiquo quoque iure liturgici cultus esse servandum, sive ex parte populi, sive ex parte cleri, quamvis uterque ab una dioecesi separatus sit alterique unitus.

Nunc autem nobis videtur casus relatus nullo iure ad nostrum, de quo inquiritur, esse applicandus, deficit enim identitas rationis. Agitur enim de paroeciis, quae iam paroeciae Tectensi unitae, postea distractae ab illa fuerunt. Vel proinde alteri iam existenti paroeciae nunc coniunctae sunt, vel novam efformant: ut, si primo modo res se habuerit, antiquus Patronus deficiet, et novus ius habebit, etiam quoad novos parochianos, ad omnia, quae Patronis debentur; si vero altero modo res processerit, Patronum antiquum, quem hactenus dictae paroeciae honore habue-

runt, honore adhuc habere debeant. Patronus autem, iste est S. Hermes cum S. Alexandro, qui, ut superius diximus, ad modum unius sunt recolendi. Ergo.

Resp. 4. Patet affirmativam vel negativam esse debere responsionem iuxta solutionem dubii tertii. Si enim agitur de festo Patroni praecipui, totus clerus, sit saecularis, sit regularis ad illud celebrandum tenetur sub ritu dup. I classis ille cum Octava, iste vero sine Octava.

Resp. 5. Constat ex Martyrologio Romano, diem 11 Maii non esse propriam S. Alexandri P. M. cum de eo in dicto Codice, tali die, ne verbum quidem. Ceterum in ipso Breviario ad diem 3 Maii fit mentio S. Alexandri una cum Eventio, Theodulo et Iuvenali. Hinc sequitur, diem 11 dicti mensis esse pro Clero Urbis assignatam. Porro exploratum est, festa patronalia, non in die assignata, sed in natalitia aut quasi-natalitia, esse recolenda. Ergo, si qui sint in loco, Calendario Urbis utentes, die 11 Maii non debent agere de S. Alexandro, cum idem sit festum, quod ab illis die 28 Aug. celebretur. Quinimo ipsa die 3 Maii in Oratione *Praesta, quaesumus*, exemplum dante Clero Urbis, nomen Alexandri reticendum, cum eius festum divisim, et quidem supremo cultu liturgico recolatur.

II. *E Senogallia.* **De festo Ss. Sociorum separando, et lectionibus iterandis in festo eorumdem.** In hac dioecesi, die 15 Iun. fit de Ss. Vito et Sociis Mm. ritu dup. minori: die autem 26 Sept. fit de Ss. Cypriano et Iustina sub eodem ritu. In quodam oppido S. Vitus est principalis Patronus, ideoque duplex I classis, et nihil de Sociis die 15 Iunii. In alio oppido S. Iustina est Patrona principalis, dup. I classis, ideoque die 26 Sept. nil de S. Cypriano; sed ex indulto speciali fit hac die com. eiusdem Sancti. Cum autem nuper reformata fuerit Rubrica n. 8 post Tabellam Occurrentiae, quaeritur: 1. Utrum in utroque oppido Officium Sociorum sit transferendum ritu semiduplici

in primam diem liberam? 2. Et quatenus affirmative, utrum lectiones historicae in festo Patroni lectae, cum separari nequeant, repeti possint aut debeant in officio Sociorum?

Resp. 1. Affirmative; hoc est, uti nos, salvo meliori iudicio, arbitramur, officium Ss. Sociorum, qui separantur a Patrono, transferendum est in primam diem liberam et recolendum ritu semiduplici, prouti Rubrica super citata exigit. Dicimus, *salvo meliori iudicio*, non quia Rubrica sit obscura, vel obligationem non pariat, cum evidens e contra sit et obligans; sed quia, cum iam e calendariis dictum officium ab aliquibus annis esse possit expunctum, censeri fortasse posset, nihil esse in iis immutandum; in novis autem, quae post Rubricam reformatam ordinantur, optime praefatum officium esse inserendum. Verum, censemus maxima cum facilitate in omnibus calendariis, etsi non reformandis, hoc officium induci posse. Ratio est: quia non de re nova agitur, sed antiqua, ad quam reditur, quemadmodum Rubrica praesens nil novi continet, sed antiquam refert. Quinimo in quamplurimis calendariis nulla est facienda mutatio, cum Ss. Socii a Patrono separati iam celebrarentur, etiam post Rubricas anno 1882 emendatas. Quia cl. Piacenza docuit, tunc emendatas Rubricas, ad hoc quod attinet punctum, non affecisse anteriora, sed posteriora Calendaria tantum. Quae opinio, quantum recordamur, in veritatem transivit, postquam in Secretaria Sacrorum Rituum approbata fuit. Ergo in paucis tantummodo Calendariis, quae nempe ab anno 1882 ad praesens reformata sunt, dicta mutatio facienda. Ceterum Rubrica est satis explicita, ut omnes Calendariorum redactores ei conformare se debeant.

Resp. 2. Posito, quod fieri debeat officium de Ss. Sociis separatim ab officio Patroni, quaestio exurgit de aliqua lectione historica, quae comprehendit tam Patronum

quam Socios, an locum bis habere possit vel debeat, nempe in officio Patroni et in officio Sociorum, divisionem enim, ut supponitur, non suffert. Cl. consulens notabat, A Carpo praecipere. De Herdt permittere tantum repetitionem. Nos animadvertimus neutrum ex duobus cl. auctoribus propriam sententiam Decreto aliquo munire. Consultius tamen iudicamus adhaerere sententiae cl. A Carpo; quia quando officia Sanctorum aliquid proprii habent, id dicendum est: dum reliqua de Communi sumenda sunt. Cum ergo in casu habeatur lectio propria, quae et Patrono et Sociis est communis, eam legendam esse credimus in utroque officio. In officio Patroni, quia Patroni est propria: in officio Sociorum, quia Sociorum quoque propria est. Opponi posset ipsamet repetitio; sed responderi potest, non esse computandum inconveniens, quia quod respicit Socios per accidens legitur in officio Patroni, et quod respicit Patronum per accidens legitur in festo Sociorum. Hisce haud obstantibus, certum est, praefatam sententiam non posse in legem converti, nisi accesserit auctoritas S. R. Cong.nis: ut qui De Herdt sequi maluerint, notari censura nequeant.

Quod spectat commemorationem S. Cypriani die 26 Sept., fortasse indulta fuit, quia iuxta Rubricam reformatam anno 1882 nihil amplius de eo prima die libera fieri poterat. Quae si vera sunt, cum impraesenti de S. Cypriano prima die non impedita post 26 Sept. faciendum sit officium semiduplex, arbitramur, cum ratione Indulti cessare ipsum indultum. Imo, etsi hypothesis nostra falsa esset, nihilominus, reposito S. Cypriano in primam diem liberam, non videmus quomodo adhuc die 26 Sept. commemorari possit. Non est enim amplius dies sua, festum novem lectionum de eo agitur ritu semiduplici in die tamquam propria; ut quid ergo illa com. die 26 Sept.?

III. *Ex Hispania.* **De praefatione in Missa votiva tempore Quadragesimae.** Tempore Quadragesimae dicitur quotidie Praefatio Quadrag. nisi festum occurrens propriam habuerit. Tamen in quodam Sabb. Quadrag. agitur officium votiv. de Immaculata Conceptione B. M. V. et sacerdos privatim celebrans Missam votivam de S. Blasio E. M. dicit. « Qualis Praefatio dicenda ? Nonne Communis? Ita mihi videtur, salvo meliori iudicio. Si de Beata M. Virgine Missa celebraretur, Praefatio esset : *et te in Conceptione...* Si de feria diceretur Missa, Praefatio esset : *qui corporali...* At Missa dicitur de S. Blasio, ergo Praefatio Communis. Nam numquam dicitur Praefatio *festi occurrentis*, in quo celebratur Missa votiva, vel *de quo* in votiva fit commemoratio. Ergo in praedicta Missa votiva de S. Blasio Praefatio non erit *de festo* occurrente (Immac. Concept.) nec de Quadragesima, cum de ea fiat com. in votiva ; ergo Praefatio erit communis. Errore laboro ? V. Decr. S. R. C. 2 Dec. 1684.

Resp. Rubricae circa Praefationes satis nobis videntur explicitae, ut propositum dubium resolvant. Nam « Praefationes.... quae in Quadragesima... propriae assignantur, dicuntur etiam in Dominicis et festis... nisi propriam habeant *(Tit. XII, n. 2)*. » Quid clarius ? Item : « In Missis votivis dicitur etiam Praefatio propria, si... habeant : si vero non habuerint, dicitur Praefatio de tempore, vel octava,... alioquin Praefatio communis (*Ibid. n. 4*). » Nonne haec altera quoque Rubrica apertissima est ? Ergo ex prima Rubrica manifesto sequitur in Missis omnibus, quae intra Quadragesimam dicuntur, dicendam esse Praefationem de eadem Quadragesima, nisi illae propriam habeant. Sed oppones, Rubricam agere de Missis Dominicarum festorumque, non de Missis votivis. Transeat, reponimus, licet in illis hae quoque videantur includi; sed prima conferenda etiam est cum altera. Haec au-

tem dat ordinem quemdam in Praefationibus Missae votivae, nempe : 1. Si Missa votiva gaudeat Praefatione propria, *haec propria* dicenda est : 2. Si de octava aliqua Missa fiat, Praefatio, si habeatur propria, *de octava* est dicenda : 3. si propriam non habeat, dicenda est *de tempore* : 4. alioquin Praefatio communis. Ergo Praefatio communis dicenda est, quando alia non habetur plus minusve propria.

Quam ergo Praefationem dicere debet celebrans Missam votivam de Immaculata Conceptione Deiparae ? Propriam de ea, quia habet. Quam Praefationem recitare tenetur celebrans Missam votivam de S. Blasio in aliquo die Quadragesimae ? Non de S. Blasio, cum Praefationem propriam non habet : non de Communi, quia praevalet propria de tempore, uti Rubrica docet ; ergo de tempore seu de Quadragesima, in casu.

Cl. consulens minus recte nobis ratiocinari videtur. Nam *si de B. Virgine diceretur Missa, Praefatio*, ipse ait, *esset :* **et te in Conceptione.....** *Si de feria diceretur Missa, Praefatio esset :* **qui corporali...** *At Missa dicitur de S. Blasio, ergo Praefatio Communis.* En in cauda venenum, seu error in conclusione, quae certe ex praemissis non sequitur. Nam Praefatio prima et altera, in duobus exemplis allatis, est propria relativa Missae : illa de Immaculata, ista de feria ; sed Praefatio Communis non est propria S. Blasii, proindeque ex primo et altero exemplo tertium non derivat.

At oppones : Nunquam dicitur Praefatio *festi occurrentis*, in quo celebratur Missa votiva, vel de quo in votiva fit commemoratio. Optimum principium ; et reapse Praefatio Quadragesimae non est de festo occurrente, quod in casu nescimus, vel de quo in votiva com. fit ; sed est de tempore. Sed adm. Rev. consulens verba : *de quo in votiva fit commemoratio*, retulit ad feriam, de qua in Mis-

sa votiva reapse com. agenda est. At eiusmodi interpretatio veritati non respondet ; dictio enim « in quo » vel « de quo » significat festum occurrens *in quo* votiva Missa dicitur, vel *de quo*, utpote occurrente, facienda est com. et nihil aliud.

Quod vero attinet ad Decretum d. d. 2 Dec. 1684, hoc est in una *Congr. Canon. Regul. Lateranensium, ad* 8, et iuxta novissimam Collectionem, ad 6, nil habet contra certam doctrinam exhibitam. En eius verba : « 6. An qui in Sabbato recitat officium de B. Maria, volens celebrare Missam de aliquo Sancto, teneatur dicere *Gloria etc.;* et Praefationem de B. Maria propriam illius diei: an vero Praefationem Communem sine *Gloria ?* » Resp. « Ad 6. Dicendum sine *Gloria* et cum Praefatione Communi (n. **1743** (3073)).» Neque obiiciet cl. Consulens, S. R. Cong. nem hic non nominare Praefationem de tempore, sed, exclusa Praefatione de festo occurrente, exigere Praefationem de Communi. Patet enim, casum non supponere tempus Quadragesimae.

Audias pro coronide doctrinam Cavalerii, exponentem Decretum in *Parisien.* ad 1, quod ratione repetitionis expunctum est e nova Collectione, sed cuius doctrina eadem prorsus est ac Decreti superius relati : « Hora est properemus ad expositionem Decreti, cuius summa est, quod qui recitat officium propriam habens Praefationem, si eo die celebrat Missam votivam de aliquo alio Sancto (*in casu nostro de S. Blasio*); non debet dicere Praefationem conformem officio, sed Praefationem propriam Sancti, si eam propriam habeat... Quod si Sanctus, de quo Missa votiva dicitur, propriam non habeat Praefationem, subintrat praefatio Octavae, si haec propriam sortiatur, et Missa votiva infra aliquam Octavam dicatur ; si vero Missa non celebretur infra aliquam Octavam, aut Octava careat propria Praefatione, succedit Praefatio de tempore, si

tunc specialis dicatur : sin Praefatio Communis, nunquam vero Praefatio, quam officium exigit quod recitatur (*Tom. V. Cap. 13, Decr. V. n. XLVII*). » Ergo Praefatio, in casu, non de Immaculata est dicenda, non de S. Blasio, non de Communi, sed de Quadragesima.

BREVIORA RESPONSA

1. *Pro oppido Virario Segobricensi.* 1. Concurrentibus 2is. Vesp. officii Ss. Angelorum Custodum cum primis diei octavae S. Angeli Regni Hispanici Custodis, Vesperae erunt integrae de Ss. Angelis Custodibus, utpote festo duplici maiori, absque Commemoratione secundi, cum obiectum utriusque festi sit idem, nempe Ss. Angelorum, quamvis secundum sit determinatum.

2. Omnia festa Domini, B. Mariae V. ac Angelorum, iuxta praesentem disciplinam, ritum duplici minori superiorem habent. Quod vero attinet festum S. Raphaelis Arch. in particulari, arbitramur, et illud esse debere ritus duplicis maioris ; nam sub hoc ritu invenitur in Appendice typico *pro aliquibus locis*.

3. Festum S. Agnetis V. et M. *secundo* (28 Ianuarii) tanquam dies octava festi eiusdem sanctae Virginis considerari potest in illis Ecclesiis, ubi praedictum festum octava gaudet, quia in die octava cadit. Prouti tamen in Breviario Romano habetur reputandum est, saltem hodie, uti festum independens, nullam cum alio relationem dicens. Idcirco de illo semper agenda est Commemoratio, si ritus permittat. Quod si festum primarium S. Agnetis, impeditum sit, Rubricis generalibus standum est; nempe, si impedimentum sit accidentale de eo fiat commemoratio, si fieri potest, in primis Vesperis, in Laudibus et in

secundis Vesperis; si vero impedimentum perpetuum sit, transferatur festum in primam diem liberam. Si vero haec prima dies libera sit dies 28 Ianuarii, de festo S. Agnetis *secundo* nihil amplius agatur; stat enim generale principium: *non bis in idem*, nempe de eodem obiecto non debet fieri in eadem actione duplex memoria. Ex hac doctrina sequitur quidem inconveniens, nempe alterum ex festis S. Agnetis in perpetuum supprimi debere; sed doctrina nostra fundatur super Rubrica *de Translatione festorum*, ubi statuitur: « festa duplicia minora...., si quotannis a digniori officio impediantur, reponuntur in prima die libera, tanquam in sede propria perpetuo recolenda (*n. 1*). » Et: « Festum simplex nunquam transfertur (*ibid. n. 8*). »

4. In Vigilia Pentecostes Missa Expositionis SS.mi Sacramenti, pro adoratione 40 Horarum, est ipsa Missa Vigiliae. Dicitur vero uti in Missali Romano, leguntur nempe Prophetiae, fit benedictio fontis, si haec facienda sit. Finita Missa, fit processio, canuntur Litaniae Sanctorum etc. Pro processione adhibenda sunt eadem paramenta, cum quibus Missa dicta fuit, nempe rubea, excepto velo humerali, quod albi semper debet esse coloris. Ita statuitur in *Instructione Clementina, Num. XVIII* (1).

(1) Cl. Gardellini in suis *Commentariis ad Instructionem Clementinam* (§ XVIII, n. 4.) circa paramenta in processione SS. Sacramenti adhibenda scribit, normam, quae in dicta Instructione datur, esse directivam, non praeceptivam, quia « mutatio paramentorum ullam secumfert deformitatem »; sed ita statutum est « ut incommodum avertatur et ne sacra interrumpatur, aut retardetur actio ». Idcirco concludit: « licet existimem satius esse obtemperare Instructioni, haud tamen eos damnare auderem, qui secus agerent ». Et ad probandam hanc doctrinam affert Decretum S. R. C., ubi edicitur tantum in

Nota 1. Celebrans et Ministri ex benedictione fontis redeuntes, quando Litaniae Sanctorum cantantur, capite cooperto incedunt (De Herdt. *Prax. Liturg. Vol. 3, n. 317*).

Nota 2. Instructio Clementina supra memorata iubet in Altari ubi Sanctissimum exponitur, cooperiendam esse imaginem vel statuam, quae ibi esse potest (*num. III*): atque prohibet ut in dicto Altari ponantur reliquiae vel statuae Sanctorum (*num. IV*). Idcirco inutilis est quaestio, an ante imaginem Titularis lumina ardere debeant. Si tamen praedicta imago in alio Altari a principe sit, nihil prohibet quominus ante eam lumina accendantur.

Nota 3. Doctrina, quam super modo Expositionis SS.mi Sacramenti in forma 40 Horarum peragendae exposuimus, valet pro iis locis, in quibus viget *Instructio Clementina*. Ideoque Rev. Consulens videat, an applicare possit pro sua Dioecesi; ex dubiis enim nobis propositis certe non constat.

II. *Pro Melita.* Circa incensationem chori in Missa cantata, quando SS. Sacramentum publicae fidelium adorationi expositum est, vide ea quae diximus an. cur. pag. 168 et seqq. Contra doctrinam ibi traditam non valet asserere: 1. consuetudinem contrariam vim legis habere; nam contra legem explicitam, non potest dari ulla consuetudo; sed datur simpliciter abusus. 2. Adesse Decretum S. R. C. praedictam consuetudinem approbans; nam, si adest, in medium afferatur, nos illud invenire non potuimus; e contra unum invenimus, in quo edicitur: « thurificationem Cleri etc., *exposito etiam super Altare SS. Sa-*

Processione SS.mi *posse* uti paramentis, quibus in Missa usi sunt, non debere (Decr. in una *Taggen.* d. d. 9 Iulii 1678, ad 6, num. **1615**). Unde si mutatio paramentorum fieri possit sine incommodo, sine populi offensione, id non erit illicitum. Ita laudatus Auctor.

cramento... consueto more peragendam esse (*Patavina*, 20 Novembris 1662; **1248-2194**). » 3. Doctrinam nostram esse doctrinam particularium scriptorum; nam, uti patet, non nostro sentiendi modo tribuenda est, sed dispositionibus explicitis S. R. Congregationis, in subiecta materia legislatricis.

III. *Pro Valentia*. 1. Doctrina, quam tradidimus an. cur. pag. 447 et seqq. super secundarietate festi S. Angeli alicuius Nationis Custodis, non potest dici *absolute* certa; idcirco conclusimus: « *saltem* ex positivo iure constare, festa specialia alicuius Angeli, ut in casu Nationis Custodis, a generali (festo Ss. Angelorum Custodum) in quo continetur, non differre, *proindeque* secundaria esse non primaria, *nisi aliter S. R. C. pro sua sapientia declarare censuerit* (*ibid. pag. 450*). » Posita tamen eius certitudine, nihil concludi potest ex privilegio, quo praedictum festum fruitur, nempe ritu duplici 2. classis cum octava. Nam in Ecclesiis particularibus non desunt festa secundaria eodem privilegio fruentia. Hinc etc.

2. Circa occurrentiam festi S. Iosephi Calasanctii et B. Ioannis de Ribera videat Rev. Consulens Rubricam novissime reformatam *De Translatione festorum n. 6*, ibique inveniat solutionem, quam a nobis requirit. Nam Rubrica edicit: « Si omnia fuerint duplicia.... in paritate dignitatis (fiat) *de fixo* prae mobili, aut denique, ceteris paribus, de magis proprio prae minus proprio. »

3. Si de aliqua collecta imperata dicenda sit integra Missa votiva, in hac, nil dubii, omittenda est; sed in aliis Missis de festo occurrente dicenda est.

IV. *Pro Tectis in Belgio*. Non videntur organa pulsanda in Benedictione candelarum, in festo Purificationis Deiparae. Quia eiusmodi benedictio et sequens processio omnimodam habent rationem moestitiae. Ita etiam consuetudo communis.

V. *Pro cod. loco.* Sacerdos, sicut ex Rubrica (*Rit. cel. Tit. II, n. 2*), quando accedit ad gradus Altaris profunde inclinare debet, ita ex identitate rationis debere facere videtur, quando ab Altari recedit, quamvis Rubrica dicat tantum: « Caput inclinat »; id quoque fert consuetudo universalis.

VI. *Pro cod. loco.* Hymnus ad 1. Vesperas, in die octava S. Ioannis Baptistae, si primae Vesperae locum non habeant, ponitur ad Matutinum, hymnus Matutini dicitur ad Laudes, hymnus ad Laudes recitabitur in secundis Vesperis. Si vero secundae Vesperae in festo S. Ioannis non dicuntur, tunc hymnus ad primas Vesperas coniungitur cum hymno Matutini sub unica conclusione. Ita Rubrica (*Tit. XX, n. 3*).

VII. *Pro cod. loco.* In Ecclesiis, quarum titulus est Sacratissimum Cor Iesu, in Oratione *A cunctis*, ad literam N. certe idem Cor nominari non debet. Quamvis enim Christus ut homo sit advocatus noster, qui etiam interpellat pro nobis (*S. Ioann. Ep. 1, cap. 2, v. 1*), ut ab omni periculo Ecclesia fidem in Christum Deum servet, nonnisi ut Deum in precibus eum exorare consuevit. Hinc servetur Decretum in *Brugen.* ad 1. quo edicitur, Patronum loci esse nominandum (*12 Sept. 1840, num.* 2814-4897): dummodo tamen vigeat consuetudo eum in officio commemorandi; secus relativa verba « ac Beato » omittenda sunt (V. Decr. *S. Germani* d. d. 15 Febr. 1873).

VIII. *Pro Monte Politiano.* Certe, nisi aliquid obstet, Sancti recolendi sunt in die eorum propria, quae est natalitia, vel quasi-natalitia. Item certum est ex Martyrologio Romano, S. Franciscum de Hieronymo pro sua natalitia habere diem 11 mensis Maii. Consequens ergo esset, ut hac die 11 S. Franciscus, non vero 11 recolatur. Dies vero propria S. Peregrini Latiosi, est prima Maii. Ideoque si S. Peregrinus alia die a natalitia recolendus esset, nun-

quam in diem 11 Maii assignari deberet, cum sit propria S. Francisci de Hieronymo; sed in primam aliam diem liberam. Si vero ambo in aliam diem assignandi essent, tunc, ceteris paribus, primo agendum est de S. Peregrino, deinde de S. Francisco; S. Peregrinus enim prior est tempore.

IX. *Pro Austria.* In Litaniis Maioribus et Minoribus, antequam eaedem incipiant, debet in Ecclesia cantari ant. *Exurge*, uti revera fieri solet in Archibasilica Lateranensi et in ceteris observantibus Ecclesiis. Consuetudo contraria servari non potest ubi viget usus Ritualis Romani, cum nil laudabilis contineat, sitque contra illius Rubricas, quae id iubent.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Septembri 1898 propositae.

PROPOSITIO.

Diebus 19 Ian. et 1. Oct. loco officii semidupl. S. Canuti et S. Remigii (quorum officium est semidupl. ad libitum) persolvi ne potest, sive intra sive extra chorum, officium *simplex*, nempe de feria occurrente die 19 Ian., et de S. Remigio die 1 Octobris, ad libitum Sacerdotum ?

SOLUTIO (1).

1. Primum, quod ad rem inquirimus, tangit significationem dictionis « Semiduplex ad libitum » : an videlicet το *ad libitum* afficiat solum ritum, ita ut officium maneat de praecepto, uti reliqua quae clausulam *ad libitum* non habent : an potius afficiat

(1) R.di Anastasius Fourneret, Nivardus Bossi ac Ioannes Benini propositae Quaestionis solutionem ad nos dederunt. Tribus inter se comparatis, huius ultimi evulgandam censuimus.

ipsum officium sub tali ritu, ita ut recitatio illius sit *ad libitum*, cum tamen si recitetur, sub solo ritu semiduplici recitari debeat.

Nos pro certo habemus, primam significationem esse falsam, et veram esse alteram. *a)* Quia, si vox *ad libitum* solum ritum afficeret, et officium relinqueret in praecepto, quando fieri nollet sub ritu semiduplici, sub quonam alio ritu faciendum esset? Satis imperfectus foret eiusmodi dicendi modus, quod supponi consequenter nequit. *b)* Etsi alterutrum ritum indicaret dictio, ut in festo S. Remigii, quod appellat *semiduplex ad libitum vel simplex de praecepto*, nunquam prima significatio sustineri posset, sed alteram credimus admittendam. Cum enim Rubrica declamet, officium posse fieri sub alterutro ritu, *de praecepto* tamen si fiat simplex, manifeste sequitur, *ad libitum* remanere officium si fiat semiduplex. Ergo praeceptivus est ritus, sed *ad libitum* est officium, nisi fiat uti simplex. *c)* Si dictio *ad libitum* non afficeret officium, quis valet intelligere rationem, ex qua adeo *deterior est officii ad libitum* conditio, ut omitti debeat occurrente Dominica anticipanda, omitti possit occurrente officio translato vel votivo, et nullam patiatur translationem? *d)* Nullus nunquam liturgicorum scriptorum ita officium *ad libitum* intellexit, ut aliter quam dicto sensu interpretati fuerint. Ergo τὸ *ad libitum* afficit officium, et non ritum, qui praeceptivus est, nempe aut semiduplex, aut duplex, aut etiam simplex, prout inscribitur.

2. Nunc autem secundo placet inquirere, an verba *ad libitum* in seipsis perpensa libertatem includant, officium sub tali formula concessum recitandi vel omittendi, prout magis libet, ut aliud recitetur. Profecto verba *ad libitum*, aliud significare nequeunt, nisi libertatem aliquid agendi, vel non agendi, hoc probatione non indiget. Ergo officia *ad libitum* concessa eiusmodi esse debent naturae, ut ii de clero, *nisi choro sint addicti*, quibus concessa sunt, ea *diebus liberis* recitare vel omittere valeant. Diximus primo, *nisi choro sint addicti*, quia clerici choro addicti ad idem tenentur officium, ratione uniformitatis, et ratione unius corporis, quod efformant, uti dicendum erit. Diximus secundo, *diebus liberis;* quia, si ipsamet officia praeceptiva, diebus impeditis recitari nequeunt, a potiori quae ad libitum data

sunt, recitari non poterunt. Dies autem qui non sunt liberi, sunt illi quos mox recensebimus, quos nempe lex liturgica impeditos declarat.

Aliunde officia, quae a S. Sede conceduntur in triplici tantum sunt gradu : 1.° sunt officia *praeceptiva*, 2.° sunt officia *facultativa*, 3.° sunt officia *ad libitum*. Primi gradus officia praestant ceteris, eaque omittendi nulla datur libertas clero, qui ad Horas Canonicas tenetur. Alterius gradus officia aliis primi gradus inferiora sunt, possunt enim non acceptari, quamvis semel acceptata, de praecepto fiunt. Tertii gradus officia inferioris sunt conditionis, quam aliorum. Sicut ergo officia primi gradus in facultate sunt recitantium, saltem ante acceptationem, ita officia tertii gradus sunt libera. Hinc quod impedita fieri haec ultima nequeant facile intelligitur ; et quod fieri quandoque debeant, cum inscripta et data sint *ad libitum*, hoc prorsus non intelligitur, cum id omnino repugnare eorum naturae videatur.

3. Quod si auctoritas invocetur auctorum liturgicorum, ad eamdem facile deveniemus conclusionem. Audiatur ex. gr. Cavalerius praedicans : « Officia *ad libitum* erunt ea, quorum celebratio in Cleri relicta est arbitrio, qui propterea eadem aeque poterit recitare et omittere *(Tom. II, Cap. 22, Decr. I)* ». Consequenter quando eiusmodi officia cum alio aliquo occurrunt, clerus, eodem testante auctore, *de utrolibet recitare valet, et illud quod magis placuerit omitti*. Ratio simplicissima est, quam iam superius innuimus ; quia videlicet « officii *ad libitum* natura est atque conditio, ut eiusdem celebratio a mero cleri pendeat arbitrio *(Loc. cit. Decr. 2, n. 8)* ». Idem sentit A Carpo, scribens: « Haec enim *(officia ad libitum)*, quamvis sint duplicia, possunt pro libitu quidem omitti vel recitari, sed nonnisi die a S. Sede concessa *(Calend. perp. Cap. IV, n. 15)* ». Inter auctores autem hanc eamdem tenentes sententiam enumerantur quoque ex recentioribus : Uberti, Belgrado, Patroni, Lerosey et *Ephemerides* ipsae *Liturgicae (1888, pag. 211)*.

Nihilominus non desunt auctores, qui contrarium sentiunt. Ita ex gr. De Herdt notat, officia ad libitum ita inscribi, *non quatenus pro libitu semper omitti vel recitari possunt*, sed quia omitti possunt vel recitari in quodam tantum casu *(Pars. I, n.*

284). Idem quoque alii dicunt. Verum, quod non semper recitari possint, pro certo habendum est, cum dentur casus impedimenti; sed quod omitti tantum possint in aliquo casu, et non semper, nullo id fundamento videtur innixum (1).

Insuper auctoritas ipsa invocari potest S. R. Cong.nis. Etenim certum est, occurrente officio translato cum officio ad libitum, libertatem fieri alterutrum recitandi. Item, si occurrant simul officium ad libitum et aliud votivum, iuxta Decretum antiquius eadem facta est recitantibus potestas, quae per aliud recentius confirmatur (*Amalphitana 8 Maii 1896 ad 1*). Quid autem id significat, nisi quacumque in occurrentia officium ad libitum semper omitti posse ut de alio fiat? Officium enim votivum minoris est gravitatis quam officium *ad libitum;* quia istud, non illud, afficere potest universam Ecclesiam, et diei mensis affigitur. Officium autem translatum indubie praestat officio *ad libitum*, ut iuxta rubricas prima die libera reponendum sit. Et nihilominus in utroque casu alterutrum recitandi facultas datur, ut natura officii *ad libitum* servetur. Quod si occurrente officio *ad libitum* cum Dominica anticipanda, de hac faciendum esse praescribitur, id in gratiam Dominicae factum est: per quod inferior officii ad libitum conditio ostenditur, quatenus officium simplex semiduplici atque etiam duplici *ad libitum* praefertur. Hinc quare hoc quandoque omittendum sit intelligitur; sed ratio obligationis illud aliquo in occurrentiae casu recitandi non potest comprehendi: ut ipsamet lex et dicta officia nuncupet *ad libitum*, et nusquam dicat, aliquo in casu obligare.

4. Sed penitius Decreta quaedam, inter se collata, perpendenda sunt. Superius diximus, antiquum Decretum nostrae sentiendi rationi favere; at hoc idem Decretum in nova Collectione insertum esse mutatum, ut ius quoque liturgicum mutationem hac super re passum fuisse concludendum videatur. Negotium examinemus. Decretum antiquum (*num.* **1685**-*2976*)) declara-

(1) Impraesenti adduci posset Decretum aliquod in nova Collectione insertum, et reformatum, quod huic defectui libertatis videtur favere, sed super eo quamprimum discutiendum erit, ut demonstretur id a veritate esse alienum.

bat, occurrentibus simul officio votivo, et officio *ad libitum*, liberum esse alterutrum recitare. Decretum vero idem in nova Collectione insertum, declarat officium votivum omittendum esse, et recitandum officium *ad libitum*. Ergo, et consequens omnino certum est, cum detur aliquis casus, in quo de officio *ad libitum* agendum est, manifestum fit, illud non esse semper liberum. En textualia verba Decreti antiqui : « .... Prout etiam, omisso officio (*votivo*), quod semel per hebdomadam aut per mensem ex Apostolico Indulto concessum est (*officium ad libitum*) recitari posse decrevit ». En verba Decreti eiusdem in nova Collectione inserti : « Item officium semel per hebdomadam aut per mensem ex Apostolico *indulto* concessum, in casu omitti decrevit. » Quibus duobus Decretis inter se collatis, facile patet, in primo relinqui libertatem recitandi alterutrum ex duobus officiis, in altero autem poni obligationem omittendi officium votivum, alterumque ad libitum recitandi.

Nunc autem aliquid ex eo posse deduci contra nostram sententiam, negamus. Etenim, praetermisso quod cum Decretum dicat, *in casu*, ad alios casus applicari nequeat, sequentia probe animadvertenda sunt. Certiores facti sumus, Commissioni liturgicae pro nova Decretorum Collectione instauranda nonnullas assignatas fuisse tenendas normas, inter quas sequentem: Si alicuius Decreti accidentalis mutatio facienda occurrat, fiat: at si mutatio facienda sit substantialis, expungatur Decretum, et aliud efformetur illi sufficiendum, cum nova inscripta die. A sibi assignata norma Commissionem Liturgicam recessisse admitti non potest nec debet. Iam nunc in duobus Decretis de quibus est quaestio, mutatio substantialis manifesta est, quam facere Commissio non potuit ; quid igitur ? Accidentales mutationes praeterimus, quas facere iure potuit Commissio ; sed mutatio substantialis ab ea derivare nequivit, praetergressa enim esset confinia potestatis suae. Ergo errorem certe admittendum credimus, quod consistit in omissione verbi **posse** ante ultimum verbum *decrevit;* eoque verbo posito, habes Decretum in nova Collectione insertum, idem prorsus, substantialiter inquam, atque antiquum, uti esse revera debet. Ergo ius liturgicum hac super re antiquum idem prorsus est ac novum, consequenter nil contra

sententiam nostram. Quae ulterius confirmatur ex supercitato Decreto recentiori in *Amalphitana*, cuius en textus: « II. Utrum omitti possit officium *ad libitum*, ut recitetur officium votivum, semel in mense concessum etc.? Ad II. Affirmative etc. (*Vid. Ephem. Liturg. an. 1896, pag. 358*).

His omnibus positis, patet responsio ad quaestionem propositam: nam si officium *ad libitum* vere *ad libitum* est, nil vetat, quominus die pro illo recitando statuta, officium de feria recitari possit.

5. Sed Dubium propositum quaerit utrum officii *ad libitum* recitatio libera sit, non solum in choro, sed etiam extra chorum. Breviori calamo negative respondemus, cum de re non dubia hic agatur. Ratio simplicior esse nequit, quia clerici choro addicti ad officium tenentur, quod recitatur in choro, ita ut aliud ab eo nequeant recitare. Id autem exigit uniformitas clericorum, unum corpus efformantium, uti Canonicorum Collegium et Communitatem Regularium. Id quoque declaratur ex iure positivo, quod praescribit, « debere eos qui sunt de gremio Ecclesiae recitare officium prout recitatur in choro (*Salernitana, ad 5: num.* **110**-167). Veritas eadem legitime quoque infertur ex Decreto recentiori circa officia votiva *ad libitum* concessa unicuique de Clero a Leone Pp. XIII, d. 5 Iulii 1883, quae tamen concessio non favet obligatis ad chorum. Adeo ut ea officia quamvis *ad libitum*, pro obligatis ad chorum fiant per accidens *praeceptiva*, si acceptata quidem semel fuerint. Illatio est legitima, ut quod de istis statutum est, de illis quoque intelligi possit et debeat: quia utraque sunt *ad libitum*, quamvis quae Leo Pp. XIII indulget feriis sint affixa, alia vero sint affixa diebus mensis.

Pro omnibus nihilominus et singulis de Clero, sint vel non sint choro addicti, de officiis *ad libitum*, de quibus quaestio nostra agit, prohibitum est fieri, uti par est, diebus impeditis. Hi vero dies sunt: *a*) dies dominici: *b*) dies in quibus occurrit festum quodcumque mobile: *c*) dies omnes infra quamcumque octavam: *d*) dies natalitii Sanctorum, de quibus ex praecepto faciendum est officium in locis. Officia *ad libitum* his diebus impeditis occurrentia, omittenda omnino sunt, ita ut nec ea

commemorare liceat aut transferre, etsi occursus perpetuus esset, sine Apostolica venia. Cum vero ea incidunt in diem, in qua de aliquo officio translato vel votivo agendum esset, hoc in casu dies pro neutro e duobus officiis censetur impeditus, sed liberum est de alterutro recitare. Sed animadvertendum, officium translatum tunc solum omitti posse pro officio *ad libitum* recitando, si dies alia libera in Calendario supersit, in quam iterum transferri debet: secus officium *ad libitum* uti impeditum habendum est, in eoque de translato agendum est officium.

Itaque integra ad quaestionem propositam responsio est: Diebus 19 Ian. et 1. Oct. persolvi potest, loco officii *ad libitum* non impediti, officium de feria occurrente ab iis omnibus, qui non sunt choro addicti. Ita salvo sapientiori iudicio.

Ioannes Benini P. C. M.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Octobri 1898 propositae.

PROPOSITIO.

Si dies intermedius Expositionis pro Oratione quadraginta horarum incidat in festum SS.mi Corporis Christi, Missa solemnis potest ne aut debet cantari ad Altare expositionis, *Instructione Clementina* inspecta?

SOLUTIO.

Maioris claritatis causa, duplex assertio mihi videtur necessaria, una quoad ius, altera quoad factum, ut ad aequam deveniamus solutionem.

Quoad ius. In die intermedio Expositionis pro Oratione quadraginta horarum, *Instructione Clementina* inspecta, non licet celebrare aliquam Missam in Altari, in quo expositum est SS.mum

Sacramentum, et proinde inibi nec potest nec debet celebrari, nisi ratio prohibitione superior aliter suadeat.

Decretoria sunt verba ipsius *Clementinae Instructionis*: « *Nell'Altare, dove sta esposto il SS.mo Sagramento, non si celebri altra Messa, che le solenni per l'Esposizione e Reposizione* », et Pontifex ita voluit fieri in Urbe, ut scilicet populus unice sit adorationi intentus (1).

Si nunc obiicias praedictam Instructionem extra Urbem non obligare ad instar legis, respondeo 1° quod penes Episcopum semper sit eam ex toto aut ex parte sequi, prout Summi Pontifices eamdem pro Urbe disposuerunt, et laudandi sunt qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit (2). Unde iam ut minimum laudabile est, et imo, iubente Episcopo, obligatorium est, nullam Missam celebrare ad Expositionis Altare, praeter illam quae dicitur pro Expositione et Repositione Sacramenti. Respondeo 2° quod, si quid relinquatur liberum in *Clementina* pro degentibus extra Urbem, hoc certe non est pro Missa coram Eucharistia publice exposita celebranda. Siquidem 9 Aug. 1670 *in Bononien.* S. R. C. audita relatione Vicarii Generalis E.mi Archiepiscopi Bononiensis, censuit: « non licere celebrare Missas in Altari Cappellae maioris Ecclesiae confratrum societatis Boni Iesu Bononiae, exposito in eodem SS. Sacramento, stante praesertim, quod adsint alia Altaria in quibus celebrari possint » (3).

Notat quidem Cavalerius: « dictio illa *praesertim*, qua ipsum decretum utitur, ut minimum quaslibet alias expellit Missas: designat namque maiorem quidem esse rationem in casu, in quo alia Altaria, in quibus celebrari possit, sed nihilominus eamdem esse iuris dispositionem in casu contrario, in quo nempe ecclesia Altare expositionis dumtaxat habeatur ». Quod ad nos autem attinet, S. R. C. potius voluisse videtur intimare, quod deerat rationabilis causa celebrandi eo in Altari, dum alia habebantur in quibus celebrari posset: quod tolerandum forte in casu, sub-

(1) Gardell. *Commentaria ad Instruct.* §. 12. n. 1.
(2) S. R. C. 12 Iul. 1849, n. 2403 (2435); Martinucci, lib. 2, cap. 38, n. 1.
(3) S. R. C. n. 1406 (2508).

dit Gardellini (1) « si unicum esset Altare, et celebrandi urgeret necessitas ».

Ceterum, ambiguitas huius verbi cessat per decretum 13 Iunii 1671 *in Angelopolitana*, ubi firmans regulam, S. R. C. expresse dicit antequam dubio respondeat, quod unice versabatur circa benedictionem, expleta Missa, elargiendam cum SS.mo : « non debet celebrari Missa in Altari ubi est expositum SS. Sacramentum, nisi sit pro eo reponendo ; et si ex necessitate fieri opus esset, populus est benedicendus more consueto, et non cum SS. Sacramento » (2). Unde pro celebratione Missae in Altari ubi exponitur palam Eucharistia, unica tantum recognoscitur idonea ratio, illa nempe quam creat casus vis maioris ; et exinde, quamvis prolata in casibus particularibus, haec duo tamen supralaudata decreta sunt uti generalia habita, et absolutam enuntiant regulam tam in Urbe quam extra Urbem (3). Quod erat probandum. Et unusquisque sciet hanc dispositionem non esse liberam, sed obligatoriam etiam extra Romam, quia independenter a *Clementina* lata fuit, ut patet.

Quae autem necessitas erit, qua urgente, aequum sit a regula declinare ? Quin longius ad omnes casus possibiles immoremur discutiendos, en doctrina communis Liturgistarum. « Sunt praecipue, inquit Cavalieri (4), quando urget praeceptum audiendi Missam et in ecclesia non est nisi Altare expositionis ; tunc enim si nulla alia ecclesia adsit in loco, non potest alias populus satisfacere praecepto, et quatenus alia adsit, cogeretur alio divertere, et Sacramento diminueretur admodum adoratorum copia cum periculo remanendi sine adoratoribus, praesertim in locis ruralibus, in quibus solummodo una vel altera habetur Missa, et infrequens valde reperitur populus ». Citat aliunde Gavantum « cui adstipulantur communiter auctores » uti huiusmodi exceptiones recognoscentem (*Part. 2, Tit. 14, n. 17*).

Pourbaix in sua Liturgia (5) non aliter sentit : « Regulariter

(1) Commentaria, § 12, n. 4.
(2) S. R. C. n. 1421 ad 5 (2534).
(3) Gardell. *Comment. in Clementinam*, §. 12, n. 4.
(4) Tom. 4, cap. 7, dec. 30, n. 2.
(5) N. 490.

non licet Missam celebrare aut cantare ad Altare, in quo SS. Sacramentum adest publice expositum, excepta Missa expositionis et repositionis. Huic tamen regulae derogari potest si occurrat gravis causa, ut est necessitas audiendi Sacrum in ecclesia quae unicum habet Altare. Sufficientem quoque rationem afferre potest longaeva consuetudo, quae abrumpi non posset sine populi offensione et pietatis detrimento, aut etiam fundatus timor ne SS. Sacramentum sine adoratoribus relinquatur si alibi Missa celebratur. Ita Auctores communiter iuxta decreta ».

Teste cl. A. Carpo (1), « praestat hoc loco animadvertere minime fas esse Missam celebrare in Altari, in quo SS. Sacramentum est expositum, nisi pro eo reponendo, aut nisi alia desint Altaria, et celebrandi urgeat necessitas, vel saltem rationabilis causa, ut praeceptum audiendi Missam, ne idem venerabile Sacramentum absque adoratoribus relinquatur, consuetudo immemorabilis difficillime sine populi offensione et pietatis detrimento obliteranda », et in testimonium vocat Dec. 9 Aug. 1670, 13 Iunii 1671 iam citata, et Decretum 27 Sept. 1864 ad 2 et 3, n. 3124 (5336), quod propter consuetudinem admittit in ipso Altari Expositionis Missam capitularem et etiam Missam de Vigilia conventualem in paramentis violaceis.

Bouvry (2) declarat : « Missa, seclusa sufficienti ratione, non celebretur ad Altare Expositionis *(et alludit ad Caerem. Episcop. lib. 1, cap. 12, nn. 8 et 9)* excepta Missa expositionis et repositionis ad normam *Instruct.* §. 12 : et si data ratione celebratur, omnes serventur ritus proprii huius Missae ». Deinde enucleans rationes huic celebrationi faventes, autumat : « praeter necessitatem audiendi Sacrum, quia v. g. unicum est Altare, et aliam fortasse rationabilem causam afferre potest longaeva consuetudo, quae difficillime abrumpi posset sine populorum offensione et scandalo . . . . Rationabilis etiam causa erit si, cum plures adsunt sacerdotes, desideretur aliud Altare, neque adsit ecclesia vicina ubi celebrare possint, ut v. g. quandoque contingit in parochia rurali die adorationis perpetuae ».

(1) Part. 1. n. 37.
(2) Tom. 2, sect. 3, appendix 2, §. 1, n. 9.

In Caeremoniali Episcop. lib. 1, cap. 12, n. 9, legimus: « non incongruum, sed maxime decens esset ut in Altari ubi SS.mum Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus ». Et Catalani in loco docet: « consentaneum ad nostrum § quo edicitur non incongruum, sed maxime decens esse ut in Altari, ubi SS. Sacramentum situm est, Missae non celebrarentur, censuit iam S. R. C. *in Bononien.* die 9 Aug. 1670 non licere Missam in Altare maiori ubi est expositum publice SS. Sacramentum celebrare, praesertim si in Ecclesia adsint alia altaria in quibus celebrari possit »; et compendifaciens S. C. mentem, alter ipsius Catalani adnotator vult « animadverti celebrationem missarum sive solemnium sive planarum coram Sacramento palam exposito a pluribus decretis S. Congregationis esse vetitam, solo necessitatis casu reservato ».

Item in Caeremoniali Episcop. lib. 2, cap. 33, cl. Commentator, e provincia Quebecen. ortus, declarat: « On ne dit la Messe à l'Autel de l'exposition que *pro expositione et depositione*. On ne doit pas s'écarter de cette règle à moins qu'on n'ait pas d'autres Autels convenables, ou qu'il y ait crainte raisonnable de détourner le peuple de l'adoration de Iesus-Christ au saint Sacrement, ou enfin à moins que cela ne soit nécessaire...» (1).

Denique, si placet, Gardellini inter omnes facile principem audiamus. Post enumerationem casuum extra regulam positorum (2), « quidquid tamen de hoc sit, regulae standum est, non limitationibus, quae nonnisi locum habent, quam concurrentibus circumstantiis ab eadem regula praevisis, quae *ab quadam dimanant necessitate urgente, vel positivo praecepto audiendi Sacrum, vel ex religione ne Sacramentum sine adoratoribus relinquatur, vel ex longaeva consuetudine late diffusa difficillime sine offensione abrumpenda* ». Horum forte casuum rationem habuit Gavantus ad Rubricas Missalis (*Part. 2, Tit. 14, n. 17*) inquiens: « in Missa privata (quae tamen quamparcissime celebranda erit in Altari in quo Sacra Eucharistia est exposita), ea

(1) *Cérémonial des Evêques commenté par une Evêque suffragant de la province de Québec.*

observari debent quae supra diximus de Missa solemni, demptis iis quae sunt propria solemnis Missae ». Si *quamparcissime*, ergo nonnisi ex rationabili causa, quae vel esse potest altera ex supra relatis, vel etiam defectus Ministrorum, unde loco Missae solemnis, una tantum privata celebrari queat. Siquidem cl. auctor paulo ante iam notaverat : « optime monemur ex antiquorum documentis, ut abstineamus a Missa celebranda coram Sacramento, etiam in suo tabernaculo incluso. Quod si ferat necessitas vel suadeat alia iusta causa. .. genuflexiones omnes, et actus reverentiales debiti diligenter sunt observandi » (1).

Id adeo verum est ut, iuxta Martinucci (2), « altero post expositionem die, qui dies medius vulgo appellatur, cantabitur Missa *pro Pace*, ut praescribit supramemorata Instructio Clementina. Quum cantanda haec erit, quumque substituenda erit Missa de officio quod incidit in diem,... cantabitur apud Altare laterale, non vero in quo asservabitur Sacramentum in tabernaculo inclusum ». Ergo, nisi exceptionaliter ad Altare Expositionis, et sic finem quaestioni iuris imponimus per decretum *in una Societatis Iesu* declarans « *non licere sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto* » (3). Unde tam intra quam extra Urbem, non licet in die intermedio pro Oratione 40 horarum Missam celebrare coram SS.mo publice exposito, nisi gravis causa, ut diximus supra, aliter suadeat, et ut verbis utar Congregationis, inhaerendum est, quantum fieri potest, Instructioni Clementinae (4).

Quoad factum, id est quoad casum peculiarem qui nobis proponitur, solutio fluit naturaliter et deducitur ex antea dictis.

---

(1) *Commentaria ad Instruct.* §. 12, n. 5 et 6.

(2) Ibid. n. 7.

(3) Manuale, lib. 2, cap. 38, n. 88.

(4) S. R. C. 9 Maii 1857, n. 3049 ad 4 (5241). Praedicta Instructio iubet etiam (*num. XIV*) hanc Missam non debere celebrari in Altari in quo Tabernaculum cum Sacramento asservatur ; « et optimo quidem iure, ait cl. Gardellini (*comment. in loc. cit.*), ut qui interea Sacra Synaxi refici postulant, voti compotes fieri possint ». Quod intelligendum est, uti patet, dummodo hoc possibile sit.

REDACTIO.

nempe: die intermedia pro Oratione 40 horarum incidente in festum SS. Corporis Christi, Missa solemnis coram SS.mo palam exposito potest celebrari et debet.

Primo, iuxta Clementinam (1), « *Il SS.mo Sagramento dovrà esporsi nell'Altar Maggiore, eccettuate le Basiliche Patriarcali, nelle quali si suole esporre sopra altro Altare* ». Quod tanto cum rigore servandum est, ut occasione expositionis pro Oratione 40 Horarum, ait Gardellini in suis Commentariis (2), nunquam liceat ab ea declinare, nisi urgeat necessitas exponendi Sacramentum in aliquo satis amplo laterali sacello, Ara maxima ob novam constructionem aut necessariam reparationem aut aliam indeclinabilem causam impedita; et tunc pertinet ad Cardinalem Urbis Vicarium et ad vigilantiam Episcoporum agnoscere, num exposito Sacramento extra Aram maximam, satis consultum sit decentiae et religioni, an magis expediat expositionem ea in ecclesia differre, donec impedimentum sublatum sit, et interim aliam ei substituere. Quare insuper Patriarchales ecclesiae non in lege comprehenduntur? Quia expositio commode fieri potest in aliis sacellis, quae angustis non sunt circumscripta limitibus, sed tam late undique patent, ut horum quodlibet velut altera separata ecclesia censeri possit, et iam non timere est, ut aliquo modo laedatur cultus religiosus, qui convenit Sacramento.

His positis, in festo Corporis Christi, nihil aliud fieri potest quam Missam celebrare solemnem ad expositionis Altare, et quia in plurimis regionibus existet illa die praeceptum audiendi Sacrum, et non satis intelligerent Fideles quomodo in hac praecipua solemnitate erga Eucharistiam Missa celebraretur in parvo sacello laterali cum magno detrimento religionis et celebritatis debitae SS.mo; et quia omnis pompa, quam sibi vindicat festum hoc augustissimum, non posset digne et sufficienter exhiberi ad instar triumphi, qui locum spatiosum et apertum exigit, ut v. g. Altare maximum, et non lateralem Aram, quae solemnitatem deprimeret (?...); et quia immemorialis est consuetudo, ut

(1) § 3.
(2) ibid. n. 1 et 2.

maximae celebritates semper ad Altare maius peragantur, et aliter facere repugnaret rerum naturae: Itaque, subdit Merati (1), « quamvis ex antiquorum documentis optime moneamur (ut advertit Gavantus supra num. 1) ut abstineamus a Missa celebranda coram SS. Sacramento, nihilominus iusta interveniente causa, puta infra Octavam Corporis Christi... certum est talem Missam coram SS. Sacramento exposito posse et celebrari debere ».

Secundo, Caeremoniale Episc. lib. I, cap. 12, n. 9 rem supponit, dicens: « Quod si aliquando contingeret.... celebrari, existente SS. Sacramento super Altari (quod..... in Missa quae celebratur in festo SS.mi Corporis Christi.... ante processionem evenire solet), tunc omnes genuflexiones et reverentiae ad unguem evenire debent ». Imo pluribus intentus minor est ad singula sensus. Porro fideles, si non celebraretur in casu proposito ad Altare expositionis, vel attenderent ad Missam ut praeceptum impleant, et iam derelinquitur SS.mum palam expositum, vel attenderent ad Sacramentum aperte expositum, et iam ab auditione Missae divertuntur. Itaque, ut provideatur venerationi et cultui tanti Sacramenti et simul impleatur praeceptum audiendi Sacrum, celebrandum est in casu ad Altare expositionis.

Denique sensus liturgicus ducit ad eamdem conclusionem. Asservanda est Eucharistia in Altari maiori uti digniori, ornatissimo et magis conspicuo, ut commodius et decentius honoretur ab omnibus. Sed S. R. C. 25 Sept. 1852 (2) statuit infra Octavam Corporis Christi (a fortiori in ipso festo) fieri debere expositionem SS.mi in Altari, in quo asservatur SS.mum Sacramentum, conformiter ad laudabilem consuetudinem, et non alibi. Ergo in die intermedio Expositionis pro Oratione 40 horarum, si incidat in festum Corporis Christi, Missa solemnis potest et debet cantari ad Altare maius, ubi exponitur aperte SS. Sacramentum et asservatur Eucharistia.

Neque obiicias isto modo ad nihilum redigi praescriptionem Instructionis § 12, n. 1, quam ad stabiliendum ius invocavimus

(1) Tom. 1, part. 2, Tit. 14.
(2) N. 3002 (5176) ad 4.

et retulimus. Quando enim accidit ut plura imperentur, quibus est impossibile simul satisfacere, necesse fit ut, dum collisio durat, obligatio et ius validius vigeat, et suspendatur lex a qua obligatio et ius minus validum procedit. Quod si fiat, iam factum quod respondet iuri validiori, non potest dici repugnare legi alteri, cum illius exercitium momentanee suspenditur ratione impossibilitatis oppositis iuribus simul satisfaciendi, et ius infirmius, cessante collisione, vim suam denuo exerit. Talis est responsio iis alleganda, qui viderent apparentem contradictionem inter ius et factum, et unum et alterum stant in suo robore (1).

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Roman.
Curé de Lannes (diocèse de Langres).

(1) Solutio cl. scriptoris nostri valde nobis arridet, nihilominus nobis non videtur ita certa conclusio finalis, ut nullam obiectionem admittat. Certe, Missa solemnis in festo, imo et in octava SS.mi Corporis Christi, maxime convenit quod in Altari Expositionis celebretur; sed 1.° lex *generaliter* prohibet Missas célebrare in Altari ubi SS.mum expositum est. Ergo, excepta ratione superiori prohibitione, numquam in dicto Altari Missae celebrandae sunt. 2.° Alia ratio quam cl. Fourneret affert, nimis probat; ergo nihil probat. Nimis probat; nam si Missa quae canitur de festo Corporis Christi in altero Altari ab illo Expositionis celebranda non est, ne fideles, qui praecepto audiendi Sacrum satisfacere debent, ab adoratione distrahantur; quotiescumque dies intermedius incidet in Dominicam vel in aliud festum in quo Missam ex praecepto audire tenentur, in Altare expositionis semper canenda erit, sive illa sit votiva *pro Pace* sive de festo currenti. 3.° *Clementina Instructio* in § XIV prohibet quominus in Altari Expositionis cantetur Missa conventualis: (in quelle Chiese che hanno l'obbligo di cantare la Messa conventuale, *questa pure* si canterà ad altro Altare); prohibitio haec generalis est. Nunc autem notatum volumus Missam conventualem aliquando esse solam Missam, quae cani potest, nam Missa votiva *pro Pace* prohibita est nonnullis diebus, qui videri possunt in citata *Instructione*. Inter hos dies adnumeratur etiam festum SS. Corporis Christi. Ergo in dicta die una tantum Missa cantabitur, illa conventualis, nempe de festo currenti, et *haec quoque* (questa pûre) canenda erit, iuxta *Instructionem*, in alio Altari ab illo Expositionis. Ex *Instructione* igitur colligi potest, saltem implicite, in die intermedio nullam Missam canendam esse in Altari Expositionis, etiamsi ista de festo currenti dicatur. 4.° In festo Corporis Christi, si sit dies primus vel tertius Expositionis, una tantum processio requiritur, illa videlicet quae ante expositionem vel in fine fit; si

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE DECEMBRI.

Canonici, qui ad chorum non tenentur nisi diebus dominicis festisque de praecepto in foro, possunt ne aliis diebus officio novem lectionum non occurrente, vel de feria officium agere vel aliud ex votivis *ad libitum*, quae acceptarunt?

APPENDIX

EX SECRETARIA BREVIUM

LEO PP. XIII.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Motu Proprio.

Quum nonnullorum pietati placuisset, templum in Urbe Ioachimo patrono caelesti in oculis prope Nostris excitari, quod quinquagenariam cum sacerdotii tum etiam episcopatus Nostri memoriam posteritati proderet, consilium quidem hac de caussa volentes probavimus, quod pulchrum videbatur divinorum in Nos

---

vero sit dies intermedius nulla fieri debet processio. Cum autem processio in Festo Corporis Christi alioquin fieri debeat; patet ergo in *Instructione* nullam haberi rationem festi currentis, quod idcirco iisdem subiacet regulis ac alia privilegiata festa, in quibus celebratur quidem Missa de illis, sed in alio Altari ab illo Expositionis. 5.° Accedit praxis plurium Ecclesiarum Urbis, quae semper, etiamsi dies intermedius incidat in festum Corporis Christi, Missam cantatam in alio Altari celebrant. Videtur ergo nobis res in incerto manere, idcirco ab unaquaque Ecclesia sequendam esse consuetudinem, quae inibi viget: usquedum S. R. C. pro sua sapientia aliquid certi statuat.

REDACTIO.

beneficiorum recordationem perenni monumento consecrare. Cui quidem consilio catholici homines tam prompto animo tamque alacri assensere, ut magnam pecuniae vim undique in eam rem, nulla interposita mora, contulerint. Luculentum istud amoris et obsequii testimonium eo libentiori voluntate complexi sumus, quod extructum iri sciebamus opus in regione urbana ubi frequentior multitudo, sed pauciora in animorum salutem adiumenta. Admota igitur aedificationi manus: eaque animose adeo promota, ut spes inderetur fore brevi perficiendam. At, quod est omnibus cognitum, secus admodum ac speratum cessit, totiusque rei procuratio perperam perturbateque habita. Eapropter, ne catholicorum voluntas frustraretur, procurandi operis provinciam Venerabili Fratri Iosepho Mariae Costantini Archiepiscopo Patrensi interim demandavimus, atque Hippolytum Onesti sacerdotem templo regundo praefecimus: absolutionemque operis, unaque aes alienum quo premebatur, ad Nosmetipsos traduximus. Quia vero nunc placet rem stabili firmaque ratione constituere, ad Sodales a Sanctissimo Redemptore consilia convertimus. Novimus enim quae illi ab Alphonso patre legifero proposita acceperint: ut videlicet id solemne habeant sibique proprium, studium omne in plebem intendere christianis moribus ac pietate excolendam. Hos igitur Sodales ad administrationem rectionemque Aedis Ioachimianae supra dictae designamus, ut in ea munia pietatis ac religionis omnia, ut moris est, exequantur. Sed id edicimus profitemurque, ipsam Ioachimianam Aedem, et quaecumque adiacent opera, iuris Nostri proprii et perpetui esse, ac Nostrorum in pontificatu Successorum. Quum autem in Ioachimiano templo, tamquam in sede principe, constitutum sodalitium sit Sacramento augusto perpetua adoratione colendo, ad inlatas praesertim Numini iniurias adprecando redimendas, illud his litteris Nostris, sicuti alias probavimus, ita confirmamus. Quocirca rata esse volumus quae iam decrevimus per litteras in forma Brevis datas die VI mensis Martii anno MDCCCLXXXIII sacrarum indulgentiarum munera iis omnibus, qui ordini sodalium supra dicto dederint nomen. Quidquid autem potestatis Antonio Brugidou, dioecesis Lugdunensis sacerdoti, eiusdem sodalitii gratia, concessum fuit per litteras Apostolicas tum die VI mensis Martii anno MDCCCLXXXIII, tum die XXVII mensis Septembris anno MDCCCXC, tum die XXII mensis Septembris anno MDCCCXCIII, prorsus abrogamus et in Alphonsianum Institutum transferimus.

Erit vero auctoritatis Nostrae ex eiusdem Instituti religiosis viris unum legere, cui totius rei curam committamus ad normam legum, quas opportune Nos perlaturos iampridem professi fuimus in litteris supra dictis. Haec statuimus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die XX Iulii MDCCCXCVIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo.

LEO PP. XIII.

E SUPREMA S. OFFICII CONGREGATIONE

I.

Fer. IV. die 22 Iunii 1898.

Suprema haec Congregatio in Fer. IV die 24 Novembris 1897 decrevit in facultatibus Episcopis *concedendis* clausulam *durante munere* esse supprimendam et in ceteris standum formae Decreti iam lati die 20 Februarii 1888 n. 1. et 2., at iuxta modum, idest: « 1. Facultates omnes habituales in posterum com-« mittendas esse Ordinariis Locorum — 2. Appellatione *Ordi-« nariorum* venire Episcopos, Administratores seu Vicarios Apo-« stolicos, Praelatos seu Praefectos habentes iurisdictionem cum « territorio separato, eorumque Officiales seu Vicarios in spiri-« tualibus generales, et sede vacante Vicarium Capitularem vel « legitimum administratorem. » Hinc propositum fuit eidem huic S. Congregationi dubium: *Utrum concessiones iam factae antecedenter Episcopis ab Apostolica Sede intelligi debeant in sensu praefati Decreti.*

Porro in Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, praefato dubio diligenter expenso, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE.mi ac RR.mi Patres rescribendum mandarunt:

Declaratio S. Officii, facta circa facultates concedendas, vi Decreti Fer. IV diei 24 Novembris 1897, extendatur ad

facultates iam antecedenter concessas, facto verbo cum Sanctissimo.

Subsequenti vero Sabbato die 25 eiusdem mensis Iunii 1898, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobavit, contrariis non obstantibus quibuscumque.

I. Can. MANCINI *S. R. et U. Inquis. Not.*

II.

Fer. IV, die 6 Iulii 1898.

Huic Supremae Congregationi R. et U. Inquisitionis proposita fuerunt enodanda dubia quae sequuntur :

I. Quomodo se gerere debeat parochus vel sacerdos, qui vocatus a viro vel muliere catholica in articulo mortis constituto et cum infideli iam vinculo civili coniuncto, illum invenit sensibus pene destitutum ? Quando parochus illum ad contritionem excitaverit ac sub conditione absolverit, potest etiam ad sepulturam admittere ecclesiasticam ?

II. Quomodo in praedicto casu parochus vel sacerdos se gerere debeat si moribundus sensibus sit penitus destitutus ?

III. Quid, si iste moribundus sit compos sui et adsint filii baptizati, quos lex civilis retinet uti legitimos ?

IV. Quid, si filii non fuerint baptizati ?

V. An, et quibus cautelis, sint baptizandi filii orti ex matre hebraea, post obitum patris catholici, si filii durante civili contubernio baptizati fuerint ?

Porro in Congregatione Generali habita ab EE.mis et RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, praefatis dubiis diligenter expensis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE mi ac RR.mi Patres rescribendum mandarunt :

Ad I. Detur responsum S. Poenitentiariae, idest : « Ve-
« nendo a morte uno scomunicato notorio od un pubblico pec-
« catore senza essersi riconciliato colla S. Chiesa, se però avesse
« desiderato l' opera del sacerdote, dal quale fu trovato o già

« morto o destituito dei sensi, e se avesse dato segni di pentimento, o baciando il Crocifisso, o facendo altri atti di pietà, dovrà il parroco negargli la sepoltura? (1). — Resp.: In hisce casibus, evulgatis resipiscentiae signis, dari posse sepulturam ecclesiasticam, vetitis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exequiarum. Quod si in aliquo casu circumstantiae extraordinariae concurrant, parochus consulat Ordinarium et stet eius mandatis ».

Ad II. Consulat probatos Auctores, ac praesertim S. Alphonsum M. De Ligorio Lib. VI. n. 483.

Ad III. Episcopus vel parochus in casu uti poterit facultate Ordinariis concessa sub die 20 Febr. 1888, renovato consensu et datis cautionibus.

Ad IV. Si possibilis spes affulgeat fore ut huiusmodi pueri possint suo tempore in vera religione instrui, tunc, datis cautionibus, baptizentur. Quod si nulla via possit huiusmodi spes moralis haberi, tunc, nisi pueri in mortis articulo inveniantur, ab iis baptizandis abstineatur; et ad mentem. Mens est quod parochus curare non omittat ut, datis cautionibus, liberi baptizari et in Catholica Religione educari possint, cum Ecclesia in iis hoc ius iam habeat. — A moribundo catholico vero, si iam est compos sui, cautiones exquirantur ut praedicta valeant obtineri.

Ad V. Si filii nondum baptizati sunt, provisum in praecedenti. Si vero sint baptizati, tunc curandum ut in Catholica Religione instituantur et educentur.

Subsequenti vero Feria VI, die 8 eiusdem mensis Iulii 1898, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.rum PP. adprobavit.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Not.*

---

(1) *Versio latina.* — Cum aliquis, qui sit notorie excomunicatus vel pubblicus peccator, moriatur, quin cum Ecclesia reconciliatus fuerit, nihilominus si sacerdotem desideraverit, a quo vel mortuus vel sensibus destitutus inventus fuit, vel si signa poenitentiae dederit sive Crucifixum deosculando sive alios pietatis actus peragendo, debet ne Parochus illi ecclesiasticam sepulturam denegare?

III.

Beatissimo Padre (1).

Il Vescovo N. N., prostrato ai piedi della S. V., umilmente espone, che non di rado si presentino ai confessori gli aggregati alle sette massoniche per essere assoluti. Or il sottoscritto chiede umilmente, se in forza delle facoltà concesse colla solita pagella della S. Penitenzieria si possano assolvere tanto i framassoni occulti quanto i pubblici, e se, prescrivendosi nella detta pagella *ut ciurent*, debba da tutti richiedersi formale e notoria abiura, da conservarsi in Curia. Che ecc.

Fer. IV, die 3 Augusti 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab. EE.mis ac RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres rescribendum mandarunt:

Episcopus utatur facultatibus quae Ordinariis a S. Poenitentiaria concedi solent, quarum vi et ipse et alii ab ipso delegati Confessarii absolvere possunt eos qui sectis vetitis nomen dederunt, sive notorii sint, sive non, dummodo a respectiva secta omnino se separent, eamque saltem coram Confessario ciurent, seu detestentur, reparato scandalo eo meliori modo quo fieri potest, et aliis iniunctis de iure iniungendis, iuxta praefatas litteras S. Poenitentiariae.

Feria vero VI. die 5 eiusdem mensis Augusti, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus SS.mo

(1) *Versio latina.* — Beatissime Pater: Episcopus N. N. ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit, non raro illos, qui nomen massonicae sectae dederunt, Confessores adire ut absolutionem recipiant. Subscriptus autem humiliter postulat, an vi facultatum, quae in solita pagella a Sacra Poenitentiaria conceduntur, possint necne absolvere massonica sectae sive occulte sive palam addictos; et, cum in dicta pagella praescribatur *ut ciurent*, an ab omnibus expostulare debeant formalem et notoriam ciurationem in Curia servandam. Et Deus etc.

D. N. Leoni PP. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobavit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquis. Not.*

V.

Beatissimo Padre (1),

Il Parroco N. N., prostrato ai piedi della S. V. umilissimamente domanda che, per quiete di sua coscienza, venga autorevolmente risoluto un dubbio che da lungo tempo lo agita circa la validità della sua ordinazione sacerdotale.

Nel consegnargli il Vescovo ordinante il calice e la patena con l' ostia, l' ostia cadde a terra prima di toccarla e prima che si pronunziasse la formola *Accipe potestatem etc.* Il Sacerdote ordinando si accorse della caduta dell' ostia, chè non era più nella patena prima della prolazione della formola e ne avvertì il Ceremoniere che, o per non inquietare il Vescovo, o perchè credesse diversamente, lasciò correre la cosa. — Che ecc.

Fer. IV die 6 Iulii 1898.

In Congregatione Generali habita coram EE.mis et RR.mis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito praefato dubio, ac praehabito RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt :

Attenta asserta evolatione hostiae in terram in porrectione instrumentorum ante tactum instrumentorum eorumdem, ordinationem esse iterandam ex integro sub conditione et secreto, quocumque die, facto verbo cum SS.mo, ut suppleat de Thesauro Ecclesiae, quatenus opus sit, pro Missis a sacerdote oratore celebratis.

(1) *Versio latina* — Beatissime Pater : Parochus N. N. ad pedes S. V. provolutus humiliter petit, ad conscientiae suae tranquillitatem, ut dubium, a quo iamdudum commovetur, circa validitatem suae ordinationis cum auctoritate solvatur. Episcopus ordinans in illi tradendis calice et patena cum hostia, hostia, antequam ab ordinando tangeretur et verba : *Accipe potestatem* etc. pronuntiarentur, in terram incidit. Sacerdos ordinandus animadvertit ante formulae prolationem hostiam non amplius in patena esse et in terram incidisse atque Caeremoniarium monuit, qui vel ne Episcopo molestiam afferret vel quia aliter sentiret, rem silentio praeteriit. Et Deus etc.

Subsequenti vero Feria VI. die 8 eiusdem mensis Iulii 1898, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum PP. adprobavit ac gratiam concessit.

I. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Not.*

VI.

Eminentissime Domine.

Episcopus N. N., accepta denuntiatione, seu potius consultatione super validitate ordinationis quorumdam Presbyterorum: ut in re tanti momenti securius procedat, rem integram isti Sacrae Congregationi remittendam censuit, ab eaque dubii solutionem expectare.

Casus igitur est ut sequitur:

Pluribus abhinc annis, antequam Episcopus Orator huius Dioecesis regimen et administrationem nactus esset, contigit ut statuto tempore generales ordines celebrarentur: cumque, ceteris ordinibus collatis, perventum fuisset ad ordinationem Presbyterorum loco extensionis dexterae manus super capita ordinandorum cum oratione *Oremus, fratres charissimi* etc., quae in Pontificali habentur, Pontifex involuntarie distractus, eamdem orationem recitabat manibus ante pectus iunctis: quod advertens unus ex adstantibus clericis, timens ne hoc officeret validitati ordinationis, cito accurrens reverenter disiunxit manus Pontificis, qui, manibus sic disiunctis ante pectus, praefatam orationem usque ad finem prosequutus est.

Hoc supposito, dubitatur, et consequenter ab Episcopo oratore ex Sacra ista Congregatione humiliter quaeritur:

I. Utrum per extensionem manuum Episcopi ante pectus suppleri potuerit in casu extensio dexterae manus super capita ordinandorum, ac consequenter pro valida habenda sit ordinatio illorum candidatorum.

Et quatenus negative ad utrumque:

II. Utrum et quomodo procedendum sit ut defectus ille subsanetur, dato quod sic ordinati, qui fuerunt duo, adhuc superstites sunt.

Fer. IV, die 6 Iulii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE. ac RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, propositis praefatis dubiis ac diligenter expensis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE.mi et RR.mi Patres rescribendum mandarunt :

Attentis expositis, Sacerdotes, de quibus agitur, iterum ordinentur ex integro sub conditione et secreto, quocumque die, facto verbo cum SS.mo ut suppleat etiam de Thesauro Ecclesiae pro Missis a sacerdotibus celebratis.

Subsequenti vero Fer. VI. die 8 eiusdem mensis Iulii 1898, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum Patrum adprobavit et gratiam concessit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquis. Not.*

VII.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N. in ordinatione Presbyterorum utramque manum super caput cuiuslibet ordinandi posuit, quod et Presbyteri assistentes fecerunt. Dum autem legeret orationem seu exhortationem *Oremus, fratres charissimi* etc. ex inadvertentia neque ipse neque presbyteri assistentes manus extensas super omnes ordinandos habuerunt. Sacram functionem postea prosecutus est usque ad illa verba *Accipe iugum Domini* etc. aptando stolam ante pectus in modum crucis. Quibus dictis, quum praeteritam omissionem impositionis manuum advertisset, submissa voce (quin a circumstantibus audiretur) repetiit exhortationem *Oremus, fratres charissimi* etc. cum oratione sequenti, et ipse solus manus extensas habuit super ordinandos. Postea functionem reassumpsit ab illis verbis : *Accipe vestem Sacerdotalem* etc.

Igitur Episcopus orator, ad pedes S. V. provolutus, humiliter petit utrum valida fuerit haec ordinatio.

Fer. IV, die 6 Iulii 1898.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE.mis ac RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum

Inquisitoribus Generalibus, proposito ac diligenter expenso suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt :

Ordinationem in casu validam fuisse.

Subsequenti vero Feria VI, die 8 eiusdem mensis Iulii 1898, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, SS.mus resolutionem EE.morum PP. adprobavit.

I. Can. Mancini *S. R. et U. Inquis. Not.*

E S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Montis Politiani — 26 Maii 1898 — Episcopus Montis Politiani huic Sacrae Cong.ni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia enodanda proposuit.

I. An Indulgentiae, quas Episcopus concedit, valeant intra limites suae Dioecesecos tantum, an vero etiam extra ?

II. An acquiri possint intra limites Dioecesis etiam a fidelibus, qui non sunt subditi Episcopi concedentis Indulgentias ?

III. An subditi Episcopi concedentis Indulgentias has lucrari valeant etiam dum extra Dioecesim commorantur ?

Et E.mi Patres in Vaticano Palatio coadunati relatis dubiis responderunt, die 5 Maii 1898 :

Ad I. Affirmative ad 1^{am} partem : negative ad 2^{am}, nisi agatur de subditis Episcopi concedentis et de Indulgentiis personalibus.

Ad II. Affirmative, dummodo Indulgentiae non sint concessae alicui peculiari coetui personarum.

Ad III. Provisum in I.

De quibus facta relatione SS.mo D. N. Leoni Pp. XIII, in Audientia habita die 26 Maii 1898 ab infrascripto Cardinali Praefecto, eadem Sanctitas Sua E.morum Patrum resolutiones benigne approbavit.

Datum Romae ex Sec.ria eiusdem S. C. die 26 Maii 1898.

Fr. Hieronymus M.^{a} Card. Gotti, *Praef.*

L. ✠ S. † Ant. Arch. Antinoen., *Secretarius.*

II.

Burgi S. Donnini — 18 Iunii 1898. Huic Sacrae Indulgentiarum et Ss. Reliquiarum Congregationi sequentia dubia dirimenda sunt proposita :

I. Utrum in adscribendis Christifidelibus Sodalitati B. Mariae Virginis a Monte Carmelo adhiberi licite et valide possint scapularia, quae, quamvis ex lana confecta, cooperiuntur tamen ex una parte tela serica vel gossypio, ex altera vero imagine quae totum vel fere totum cooperit scapulare, ita ut pannus penitus, aut quasi penitus non appareat ?

II. Quid tenendum quando unum scapulare refert imaginem B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, alterum, quod vitta coniungitur, Imaginem B. Mariae Virginis Perdolentis, SS.mi Rosarii vel etiam SS.mi Cordis Iesu ?

III. Utrum nomina adscriptorum Confraternitati, necessario ad viciniorem Confraternitatem mittenda sint, vel potius liberum sit ea transmittere Moderatori cuiuslibet Confraternitatis ?

IV. Utrum in adscriptione plurium, formula unica in numero plurali, quae ex Decreto S. C. Indulgentiarum die 18 Aprilis 1891 adhiberi potest, dicenda sit antequam incipiatur impositio vel potius dum primo fit impositio ?

V. Utrum in casu supra exposito, cum generatim adscribendi sint viri et mulieres, conveniens sit dicere : « *Accipite viri et mulieres* », vel simpliciter « *accipite hunc habitum* », prout est in formula Breviarii approbati in Decreto S. R. C. diei 24 Iulii 1888 ?

Porro S. Congregatio, audito unius ex Consultoribus voto, relatis dubiis respondendum mandavit :

Ad 1um. Negative.

Ad 2um. Nihil officere valori scapularis Imaginum varietatem, dummodo in scapulare appareat color, forma et pannus, quae uti substantialia sunt retinenda, exceptis tamen scapularibus SS.mae Trinitatis et Passionis D. N. I. C. in quibus imagines propriae sunt necessariae.

Ad 3um. Negative ad 1am partem ; affirmative ad 2am partem.

Ad 4um. Formulam in casu dicendam esse, immediate antequam scapularia imponi incipiantur, eaque sacerdote in manibus tenente.

Ad 5um. Si viri a mulieribus facile segregari possint, et duplici actu functio peragi possit, quod certe foret convenientius, tunc, prout de more, adhiberi posset formula longior, mutatis mutandis. Si vero unico actu promiscue viri cum mulieribus sint aggregandi, tunc ad praecavendam cacofoniam, formula brevior melius adhiberetur, dicendo tantum « *Accipite hunc habitum* etc. ».

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 18 Iunii 1898.

Fr. HIERONYMUS M.a Card. GOTTI, *Praef.*

L. ✠ S.

† Ant. Arch. Antinoen., *Secretarius.*

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.

S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

Romae, Typis Fratrum Amoroso, Piazza della Torretta Borghese N. 22-25.